



# **Dissertatio juridica inauguralis de consilio nautico**

<https://hdl.handle.net/1874/322796>

W

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

PER M. M. M. M. M.

DE

CONSIGLIO NAUTICO.

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

CONSIGLIO NAUTICO

CONSISTIO NADTIO

PROBATA TORONA PERIMETER

1870

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

DE

CONSILIO NAUTICO,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**PETRI JOHANNIS ISAÄCI DE FREMERY,**

MATH. MAG. PHIL. NAT. MED. ET ART. ORST. DOCT. ET PROF.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS,**

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO JURIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,


RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

PAULUS JOANNES BOSCH VAN DRAKESTEIN,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XXIII JUNII MDCCCXLVIII, HORA I.



AMSTELODAMI,

IN BIBLIOPOLIO C. G. VAN DER POST.

MDCCCXLVIII.

CONSILIO NATIONO

PETITIO JOHANNIS ISAAC DE FREMERY

AD HONORABLEM SENATUM PROVINCE BRABANTIAE

PRO DOMINA REVERENDISSIMA

ACCADEMIA DOCTRINAE

IN URBE BRUXELLARUM

IN ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII

AD HONORABLEM SENATUM

ACCADEMIAE DOCTRINAE

IN URBE BRUXELLARUM

AD HONORABLEM SENATUM

ACCADEMIAE DOCTRINAE

AD HONORABLEM SENATUM

ACCADEMIAE DOCTRINAE

TYPIS H. BAKELS.

**P A R E N T I B U S**  
**O P T I M I S C A R I S S I M I S**

**S A C R U M .**

MADE IN U.S.A.

OPTIMIS CARTRIDGE

1000

Grace quidem et molestum est decedere ex amoenissimo studiorum et amicitiae campo, quem fugaces aliquot annos percurri, ubi tot tantosque fructus carpere mihi licebat. Alius continuo latior isque severior campus me recipiet; cui ut civis adscribar in hic studiorum primitiae, quas utinam tali honore dignas conficere potuissem! Ex immensa enim illa copia materiae, unum idque nec nimis magnum aut parvum, neque nimis difficile aut leve argumentum eligere, atque ex hoc illud ipsum, cui pondus inest, decerpere, quem iuvenem non commovit, perterruit, moratum est!

Hanc autem datam occasionem praetermittere nolo,



quin praeceptoribus debitas gratias solvam. Vobis imprimis, Viri Clarissimi DEN TEX et VAN HALL, qui in iurisprudencia duces mihi fuistis, qui tanta in me benigne conferre non cessastis, pium gratumque animum publice significare gestio. Nulla dies vestrorum in me beneficiorum memoriam mihi delebit, semperque manebit meritorum vestrorum honos. Eadem qua antea benevolentia me prosequi ne desinatis enixe rogo.

Tibi autem, Promotor Clarissime, pro utilissimo auxilio optimisque consiliis, gratias maximas agere admodum mihi iucundum est.

Vos tandem, amici, quibuscum spatium in Athenaeo peregi dulcissimum, quorum quotidiana consuetudine, quorum studiis in sodalitie, tam litterario, quam iuridico, uti mihi licuit, valete, et mei, sicut ego vestri, memores maneat velim. Idem nos vinculum et veri et patriae et liberalium doctrinarum amor iungere pergat.

---

---

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

---

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

QUID SIT CONSILIUM NAUTICUM, ET UNDE ORIGINEM DUCAT.

SECTIO I. CONSILII NAUTICI DEFINITIO.

SECTIO II. DE CONSILII NAUTICI ORIGINE.

CAPUT II.

QUAENAM PERSONAE CONSILIUM NAUTICUM CONSTITUANT.

CAPUT III.

DE QUIBUS REBUS CONSILIUM NAUTICUM AUDIENDUM SIT.

SECTIO I. DE REBUS, QUAE AD NAVIS MERCIUMQUE CURAM GERENDAM PERTINENTES DELIBERATIONIBUS CONSILII NAUTICI LOCUM DANT.

SECTIO II. DE REBUS, QUAE AD DISCIPLINAM IN NAVI TUENDAM PERTINENTES DELIBERATIONIBUS CONSILII NAUTICI LOCUM DANT.

## CAPUT IV.

QUAE FORMAE IN DELIBERATIONIBUS ET POST EAS OBSERVANDAE SINT.

## CAPUT V.

DE CONSILII NAUTICI AUCTORITATE.

SECTIO I. DE CONSILII NAUTICI AUCTORITATE IN CURA NAVIS MERCURIUMQUE GERENDA.

- § 1. *De consilii nautici auctoritate in comprobandis vel improbandis rebus a magistro gerendis.*
- § 2. *Quid iuris, si magister navis consilium nauticum convocare neglexerit?*
- § 3. *De consilii nautici auctoritate in eligendo magistro, caeterisque causis minoris momenti.*

SECTIO II. DE CONSILII NAUTICI AUCTORITATE IN DISCIPLINA IN NAVI TUENDA.

- § 1. *Universe.*
- § 2. *Num consilio nautico tribuenda sit iudiciaria potestas in delictis et criminibus puniendis.*
- § 3. *De delictorum inquisitione, de testimonio hac de re scripto a consilio nautico conficiendo et de fide huic instrumento tribuenda.*
- § 4. *Consilium nauticum de minoribus delictis vel conventionibus in disciplinam in navi iudicet.*

CONCLUSIO.

---

## INTRODUCTIO.

---

*L'importance et la difficulté du sujet qu'on a choisi, semble être le thème obligé de toute introduction, on se plaît à les vanter, on les exagère....*

Rossi, Traité du droit Pénal.

---

Postquam huius saeculi initio, Franco-Gallis e patria nostra expulsis, pax Europae reddita fuerat, mercatura cum caeterarum gentium, tum patriae nostrae reviviscere et navigatio, periculis impedimentisque magna ex parte sublatis, augeri coepit, quod longe lateque tot aedificatae naves, tot omnium fere nationum nostros portus frequentantes naves, tot nostratium peregrinos portus petentes, testantur. Ut igitur quaeque iura et instituta, quae mercaturam nostram spectant, in patria nostra magni habenda sunt, ita sane argumentum, de quo hocce specimine agemus omni studio nobis dignissimum esse visum fuit; hoc enim non tantum mercatoris bonorum, sed etiam nautae iurium

tutelam spectat. Quodsi in hocce argumento vel leviter attingendo quaedam utilitas inesse non denegetur, si ex ipsa inquisitione pateat, mercaturam, salutis patriae fundamentum, hac in re bona lege, quae eam tutetur, indigere, reminiscatur legislator, nos novam legem, quae ei prospiciat, iam diu speratam et expectatam, adhuc desiderare, neque illam ad Calendas Graecas differat. Cuicumque civi sortem nautarum cordi esse oportet. Per eos enim, quamvis multis vitiis inquinatos, tamen raris virtutibus, audacia, fide, se commendantes, navigatio, per navigationem mercatura valet et viget. Lex eorum delicta reprimere conetur, sed simul etiam eorum iura tueatur.

Quod ad mercatoris bonorum tutelam, in quaestionibus quibusdam solvendis, principia recepta, nobis approbanda visa, colere et sequi conati sumus. Quas autem attulimus antiquas leges, eae, vel ut placitis suis utiles essent, vel ut historia sua, magistra illa legislatoris, docerent, memoratu dignae nobis visae fuerunt.

Imprimis Consulatu maris usi sumus, cuius praecepta antiquissimus isque uberrimus hodierni iuris maritimi fons a Ictis merito habentur.

In antiquis legibus citandis viri Celeberrimi PARDESSUS contextu usi sumus, in opere quod inscribitur: »*Collection de lois maritimes*,» cuius versioni plerumque fidem habuimus.

---

---

## CAPUT I.

### QUID SIT CONSILIUM NAUTICUM, ET UNDE ORIGINEM DUCAT.

---

#### SECTIO I.

##### CONSILII NAUTICI DEFINITIO.

Ut specimini initium sit et caput, definitionem consilii nautici, quae nobis optima videtur, proponere conabimur, re enim, de qua disseremus, cognita, eo facilius erit sententias lucide exponere beneque defendere.

Secundum art. 367 Cod. Merc. Neerl. coll. art. 362, 368, 374, Consilium <sup>(1)</sup> nauticum (*de scheeps-*

---

<sup>(1)</sup> Cuicumque notum est omnia verba lingua nostra usitata Latine bene vertere haud facile esse. Verbum *scheepsraad* Latine exprimere conati sumus, *consilio nautico*.

Non usi sumus verbo concilio, quia concilium magis dicitur de concessu audientium, consilium contra de concessu deliberantium. Denique diximus nauticum, non navale, quia navale magis ad navem tantum pertinet et argumentum spe-

raad (¹)) nonnullorum, in navi mercatoria versantium, est congregatio, in qua, in magnis rerum momentis, magistro praeside, deliberatur, sententiaque proditur de eo, quod personarum, navis, merciumve salutis gratia faciendum sit.

Placita, quae in caeterorum hodiernis populorum legibus de consilio nautico occurrunt, fere omnia illud eodem modo definiri sinunt. Vid. Cod. Merc. Franc. art. 241, 410 aliique. Cod. Merc. Lusitaniae, art. 1387. Ord. Bilbao, cap. 24, art. 21, 26, 30, 45—46., Pr. Landr. lib. II. tit. 8. § 1463—1465.

Secundum Codicem Merc. Hispanicum tamen aliter definiendum est, vidd. art. 661 aliique; revera ibi personae lege in consilium vocatae de re facienda non tantum deliberant, sed statuunt; vid. etiam Cod. Merc. Russicus, art. 709. Monendum nobis restat, nos in consilio definiendo tantum locutos esse de eo, quod in navibus mercatoriis nonnumquam convocari lege iubetur; est tamen aliud consilium nauticum, militare nempe, quod iudiciaria potestate gaudens, in navibus militaribus viget, et speciminis argumentum non est: de eo igitur hic non agemus.

ciminis etiam *navtas*, et merces spectat, quod melius verbo *nauticum* exprimitur.

(¹) Francice, Conseil de navire. Hispanice, Junta. Germanice, Schiffs-Rath.

---

 SECTIO II.

## UNDE CONSILIUM NAUTICUM ORIGINEM DUCAT.

Apud antiquos populos non ita pridem in usum venit ut mercatores aliis mandarent, ut merces per iter curarent, easque peregre venderent, sed ipsi eas eadem navi comitabantur, ut in longinquis regionibus ipsi eas venderent, aliasque in earum locum emerent, quas rursus in patriam devehent. Cum igitur mercium domini in navi semper adessent, rei naturae congruum erat, eos de rerum suarum iactu vel redemptione a piratis hostibusve, consuli et deliberare. Inde consilii nautici origo ducenda nobis videtur, quod ex variorum populorum legibus haud dubie satis lucide apparet. De iis gentibus, quae ante Athenienses mercaturam agebant, hic sermo non est, nam quamquam fere certum sit, eas de re nautica leges ususve habuisse, earum tamen iuris nautici nullae nobis restant reliquiae, nisi ea Rhodiorum iura, quae in posteriorum populorum legibus hic illicve inserta fortasse fuerint. Graecorum tamen nobis a scriptoribus et praesertim egregiis DEMOTHEUS orationibus multae leges traditae sunt, in quibus prima nostri argumenti



exempla occurrunt, vid. DEMOTHEUS Oratio in Lacritum. Editionis REISKII, lib. II. pag. 77, ubi legimus, debitores mercibus Athenas perductis, intra vicesimum diem, ex quo Athenas venerint, creditoribus argentum rursus, quantum ex syngrapha debetur, reddere debere, « πλὴν ἐκβολῆς, ἣν ἂν οἱ συμπλοὶ ψηφισάμενοι κοινῇ ἐκβάλωνται, καὶ ἂν τι πολεμίοις ἀποτίσωσι, τῶν δ' ἄλλων ἀπάντων ἐντέλεις. » Unde apparet vectores de iactu et de redemptione ab hostibus deliberasse. In Romanis etiam legibus de vectorum voluntate sermo est, vid. fr. 2, § 1 Dig. de lege Rhodia de iactu. « Si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut si quid exarmaverit, nulla facienda est collatio, quia dissimilis earum rerum causa est, quae navis gratia parentur et earum pro quibus mercedem aliquis acceperit.... Sed si *voluntate vectorum* vel propter metum aliquem id detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet. » Ibi quoque de vectorum consensu agitur, vid. etiam PAULUS Sent. lib. II, tit. 7. § 3, iuxta quem vectores, arbore, vi tempestatis amissa, ad contributionem non tenentur, nisi, *ipsis* arborem salutis causa *eruentibus*, navis salva sit. Nec non in Compilatione, quae vocatur jus maritimum Rhodiorum, quae, etiamsi legis vim non habuerit, tamen antiquorum temporum usum nobis tradidit; cap. 9, exemplum consilii nautici praebetur. « Si magister de iactu consultare velit, vectores interroget, quorum in navi merces sunt et de

eo, quod faciendum sit deliberationem ineant." Nec non cap. 38, quo mercator primus merces eicere debet ut ostendat, se iactum necessarium existimare. Quae in dictis legibus de consilio nautico invenimus, a Latino littore cum plerisque Romanis legibus finitimas regiones petierunt, et in Consulatu maris recepta, adaucta, caeteris plurimorum Europae populorum, etiam nostris, antiquis legibus sancita confirmataque sunt. Praeceptorum, quae in iis invenimus, adhuc in fere omnibus hodiernis legibus vestigia supersunt, de quibus nobis agendum erit.

---

---

## CAPUT II.

### QUAENAM PERSONAE CONSILIUM NAUTICUM CONSTITUANT.

---

Lege nostra mercatoria art. 367 magister cum exercitoribus, mercium dominis eorumve mandatariis, si in navi adsunt, et in omni casu, cum officariis et praecipuis nautis deliberare iubetur.

Jam antiqua Atheniensium aetate de vectorum deliberatione sermo est, vid: DEMOSTHENES in Lacritum. ED. REISKII, lib. II pag. 77 et etiam iure Romano, l. 2. § 1 Dig. de lege Rhodia de iactu: de vectorum voluntate agitur. Posterioribus legibus, de quibusdam rebus mercatorum, de aliis nautarum eorumve praecipuorum, nonnumquam etiam et mercatorum et nautarum, nec non exercitorum deliberatio requirebatur. Quod vero ad medii aevi leges, universe dici potest, mercatores consulendos esse, cum de eorum commodo agitur, et de eo extra ordinem faciendo,

unde damnum iis oriri potest, sicuti de iactu: Consulatus maris Cap. 54. Vidd. etiam Cap. 150, 185 sqq. legum Uliar. art. 8. Consuet. Amst. art. 8. Legis PHILIPPI II. anni 1563 tit. IV, art. 4. Multis Consulatus maris capitibus nautae consuli iubentur, quod nusquam in Digestis invenimus, et ex eo explicandum est, quod, crescente mercatura et navigatione, mercatores non ut antea, merces in navi semper comitarentur. Porro nautarum magis navis merciumque salus intererat, non tantum ad vitam servandam (audacia enim navigantium crescente magis altum mare petebant, et littora relinquebant, in quibus igitur nautae vim tempestatis et undarum minus facile effugere poterant), sed etiam ad bona, quorum in navi domini erant, cum saepius pro parte mercedis iis merces quasdam transvehere permitteretur, quin etiam ad mercedem servandam, cum usu invalisset, ut navi et mercibus perditis nullam mercedem nautis solvi oporteret, et praeterea, quia nautae saepius exercitoriae societatis socii pro parte nauli et lucri operas praestarent, quod neque apud Romanos in usu fuisse videtur. *Omnes* nautas mediæ aevi leges consuli iubebant, «avec le conseil de tout l'équipage. Vidd. Cap. 66, aliaque Consulatus maris, »par conseil des compaignons de la nef.» Art. 1 legum Uliar. Vid. etiam art. 2 Consuet. Amst. pr. »Soo sal den schipper overeendragen met den meesten partyen in 't schip,» et § 7 eiusdem art. »Wat den schipper met den meesten hoop goed dunkt te wezen.» Adhuc in

lege PHILIPPI II anni 1563 tit. IV, art. 4, 11, Van schipbreuckhinghe, legimus »bij advysen van den meerdere[n] deel van den schiplieden.»

Huius aetatis leges tamen quamdam distinctionem iam admisisse videntur, quia saepe dicitur, magistrum officiariorum et nautas consulere debere »après avoir pris conseil du contre-maitre, des officiers de poupe et de tous les matelots.» Consulat[us] maris Cap. 48, 150 caet; unde apparet hos praecipue officiariorum consulendos esse. Vid. etiam art. 3, cap. VI. Guidon de la mer. iuxta quem septem nautarum praecipui consulendi erant: »sept des plus suffisans» et legis Massiliae, anni 1253, lib. IV, cap. 30 ubi legimus: »Si iactus... ille communi concordia mercatorum factus fuerit, vel maioris vel sanioris partis eorum, qui in ea navi vel ligno tunc essent.» — Etiam si de litibus minoribus diiudicandis agitur, fere semper promagister (notxer, contre-maitre) et scriba designantur Consulat[us] maris Cap. 29, 181 aliisque.

Lege LUDOVICI XIV anni 1681 magister praecipuos tantum nautas consulere primo iubetur, veluti gubernatorem, promagistrum aliosque. Lib. II, tit. 8. art. 1, 18. Idem sancivit Codex Merc. Francicus art. 410 sqq. »Il prend l'avis des intéressés au chargement, qui se trouvent dans le vaisseau et des principaux de l'équipage,» vid, art. 234, 241, 249, 411, per quos etiam praecipui nautae consulendi sunt. Codex Hispanicus art. 646, 653 sq. officiariorum consuli

iubet, quibus nonnumquam mercatores adduntur. Vidd. etiam legis Daniae lib. IV. c. III. art. 10, 21 sq. Secundum Ord. Bilbai Cap. 24 art. 21, 26, 30, 34, 45 officarii et praecipue gubernator et pro-magister consultandi sunt. Idem iubet lex maritima Austriae art. 19, 26. Codex Lusitaniae art. 1369, 1387, 1388, fere easdem personas ac nostra lex consuli iubet, vid. Cod. Merc. Neerl. art. 367, secundum quem magistro deliberandum est cum exercitoribus, mercium dominis eorumve mandatariis, si adsunt, et in omni casu cum officariis et praecipuis nautis (¹). Ex quo patet ex multis saepe personis consilium nostrum constare. Mirum tamen est, legislatorem etiam exercitores et mercatores consultari voluisse, cum plerumque rei nauticae nullam habeant peritiam, et idcirco tantum inserviant ad turbam et tumultum augendum. Quid de vectoribus, qui saepius bona quaedam secum ducunt, et secundum Cod. Merc. Neerl. art. 532 (²), quod ad bona in navem illata, iis, qui navem onerarunt, accensentur? Si etiam consultandi sunt, inde ingens oriatur tumul-

---

(¹) »Is de schipper gehouden zich te beraden met zijne reeders, inladers of derzelver gemagtigden, zoo die tegenwoordig zijn, en in alle gevallen met zijne officieren en de voornaamsten zijner scheeps-gezellen.»

(²) »De passagier wordt ten aanzien van de goederen, welke hij aan boord heeft, als inlader beschouwd.»

tus, praecipue in iis navibus, quae emigrantes in peregrinas devehunt regiones. Praeterea quare in art. 367, consuli debent exercitores et mercium domini, cum in articulis 362, 368, 374 eiusdem Codicis de iis consultandis sermo non sit? In casu enim art. 368 mercatores imprimis consulendi nobis videntur; ibi enim agitur de mercibus, quae pro omnium salute eiciendae sunt, eligendis; mercium enim domini ipsi melius, quam nautae scire possunt, quaenam merces maioris ponderis, minorisque pretii sint, et si constat iactum necessarium esse, eorum plerumque parvi interest, quorumnam merces eiciantur; quare auctores annotat. Amst. ad Cod. Merc. Consult. Asser. c. s., minus recte observasse nobis videntur, cum pag. 149 dicant, ad art. 368 verba, »na beraad met de voornaamsten van het scheepsvolk.» »Dus niet na beraad met de inladers, die, wanneer zij zelve of hunne gemagtigden tegenwoordig zijn, alleen daaromtrent geraadpleegd worden, of er eene werping zal plaats hebben, niet welke goederen die werping zal betreffen; en geen wonder, daar zij er al te veel belang bij hebben, dat niet hunne goederen, maar die van een ander geworpen worden.»

Quod ad finem huius sententiae, referimus ad art. 698, coll. 727 sqq. Cod. Merc. Neerl. ubi de contributione et resarcitione agitur, si damnum quoddam pro communi navis merciumque salute necessitate datum est. Melius hac de re statuit Codex Borussicus, ubi legimus suf-

ficere, si magister gubernatorem, pro-magistrum et navis fabrum tignarium consultaverit (¹). — Art. 367 Cod. nostri velut in plerisque aliorum populorum legibus officarii consulendi sunt, ad quos in navibus mercatoriis, imprimis praeter magistrum accensendi sunt, gubernator primus et secundus, pro-magister, multique alii, qui tamen inferioris gradus esse censentur, inter quos navis faber tignarius (*scheeps-timmerman*) praecipuum tenet locum. Cum in sequentibus paragraphis de officariis acturi simus, qui consilium nauticum constituent, et disciplinam in navi curent, praecipue de magistro, gubernatore et pro-magistro loquemur, quibus ob aliquam causam impeditis, qui proximo gradu sunt, eorum partes agant. Secundum art. cit. igitur officarii et nautarum praecipui sunt consulendi: ex verbis enim non apparet nautas illos tantum consulendos esse, deficientibus officariis, de qua re fortasse controversia moveri potest (²). In Codicis Merc.

(¹) Pr. Landr. Lib. II. tit. 8. § 1463 sqq.: » Musz er mit seinen Schiffs-leuten Seemannschaft oder Schiffs-rath halten. Es ist jedoch zur Deckung des Schiffers hinreichend, wenn zu einem solchen Schiffs-rathe nur der Steuerman, Hoch-Bootsmann und Zimmermann gezogen werden. Fehlt einer von diesen: so musz der Schiffer an dessen Stelle wenigstens einen andern erfahrenen Schiffs-mann zuziehen.»

(²) Videantur responsa data in coetu legislativo ad art. 8 tit. III legis speciminis anni 1825. VOORDUIN, *Geschied. en Beg.* IX. pag. 437.



Neerl. articulis, quibus de deliberatione agitur praecipuorum nantarum, »de voornaamsten van het scheepsvolk,» arbitrio magistri navis, quinam illi sint, definiendum relinquitur. Animadvertendum est praecipuos nautas non semper eos dicendos esse, qui primis muneribus funguntur; hoc etiam ita in navigatione in usum venit, quo rei nauticae peritissimi praecipui nautae esse censentur, in consilio adsunt, sententiamque emittunt.

Haec legislatoris interpretatio esse videtur; legimus in Oratione viri ampl. BEELAERTS VAN BLOKLAND, vid. VOORDUIN, *Geschied. en Beg.* etc. lib. IX, pag. 422, »de voornaamsten van dezelve, d. i.: die door kunde en ondervinding die onderscheiding verdienen;» ut diximus quinam peritia et experientia praecipui dicantur, magistro definiendum relinquitur, et merito, ille enim nautas, quos ipse conduxit et ad operas praestandas per longum saepe tempus adhibuit, optime cognoscere praesumitur.

---

## CAPUT III.

### DE QUIBUS REBUS CONSILIUM NAUTICUM AUDIENDUM SIT.

---

Ex iis quae de consilii nautici constituendi ratione jam diximus, magna ex parte apparet, quaenam res consilio illi consulendo locum dent. Dividere eas possumus in res, quae ad navis merciumque curam gerendam, et in eas, quae ad disciplinam in navi tuendam pertinent; de illis primo videamus.

---

### SECTIO I.

DE REBUS, QUAE AD NAVIS MERCIUMQUE CURAM GERENDAM PERTINENTES, DELIBERATIONIBUS CONSILII NAUTICI LOCUM DANT.

In Consulatu maris variae enumerantur res, de quibus consilium nauticum audiatur, inter quas iactura praecipuum tenet locum. Si enim saevientis tempestatis vi navis in periculo versabatur pereundi, nisi merces eicerentur, magister mercatores, qui in navi erant, convocare,

iisque, praesentibus caeteris nautis, periculum et iactus necessitatem ostendere debebat. Vidd. Cap. 54 aliaque. Consilium nauticum audire magister iubebatur, si societatem cum aliis navibus inire (*voguer de conserve*) cupiebat, Cap. 48, vel cum una tantum navi, ut se mutuo in tempestate iuvare et contra hostes defendere possent, Cap. 49.

Idem magistro faciendum erat, si necessitate navem in littus appellere cogitur, vid. Cap. 150. Praeterea aliis Consulatus maris capitibus magister nautas vel mercatores consulere iubetur, de portibus intrandis, Cap. 56, de anchoris cūciendis in locum ubi periculum est eas amitendi, Cap. 64, de scapha, aquae plena, derelinquenda, Cap. 65, de alio magistro in suum locum substituendo, Cap. 149, de via in itinere mutanda, alioque portu, quam quo tendebat navis, petendo, Cap. 167, de pecunia navi necessaria a mercatore mutuo sumenda, nec non de navis armamentis vendendis, Cap. 61, de navi ab hostibus redimenda, Cap. 185, ubi legimus, » le patron qui.... fait rencontre de batimens armés des ennemis, peut parler et faire convention avec les comites.... afin qu'il ne fassent aucun mal, ni à lui, ni à rien de ce qu'il porte à bord. Si sur ce navire il y a des marchands, il doit leur déclarer la convention qu'il veut faire.... Lorsqu'il n'y a aucun marchand sur le navire, le patron doit tenir conseil avec les officiers de poupe, le contre-maitre et les matelots;» eodem Capite idem faciendum est, cum

magister munera vel cibaria navibus amicis armatis donare cupit. Exemplis illis allatis, generalem iam ponamus regulam, magistro consilium nauticum audiendum esse, de iis omnibus rebus, quae nudam navis administrationem excedunt. Eadem regula valet de caeteris medii aevi, et etiam de posterioribus legibus, quod exemplis probare facile erit. Legimus enim in art. 1 legum Uliar. magistrum de consilio nautarum navis armamenta pignori dare posse, cum pecunia navis indiget: »s'il a besoin d'argent, il peut, de l'avis de l'équipage, mettre des appa-  
raux en gage." Vid. etiam Cod. Suec. CAROLI XI. anni 1667, pars III, §. 8. Consilium etiam audiatur de iactu, vel de malo ferro submittendo, vel de anchoris derelinquendis, iuxta legum Uliar. art. 8 et 9, legis Francicae anni 1681, lib. III, tit. 8, art. 1 et 3. Cod. Suec. CAROLI XI anni 1667, pars V, art. 10. Statut. Massiliae anni 1253, lib. IV, cap. 30. legum Wisbicens. art. 22 et 23. legum urbis West-Cap. art. 8 et 9. Consuet. Amst. art. 2 et 3, quarum Consuetudinum art. 1. dicit: »Waer 't date en schip brake of dat men 't doorseilde ende quame aen den grond; waer 't sake dat den kooplyden ende den schipper ende den schipman goed dochte dat men dat konde in korten tyd weder reede maken; soo sonde men dat weder laten maken."

Consulantur mercatores vel nautae de societate cum aliis navibus ineunda, Consuet. Amst. art. 2, § 7 [ver-

bum *loten* enim vadorum exploratorem conducere non significat, ut vir Cel. PARDESSUS contendit, sed societatem cum aliis navibus inire, quo casu sortiebantur magistri, quae nam navis aliis praesset], de navi derelinquenda necessitate cogente, Ord. Fr. a. 1681, lib. II, tit. 1, art. 26, de cibariis vendendis iis nautis, qui in itinere fame premuntur, Ord. laud. eodem, art. 33, de damno navi aperiundae, ut merces exonerentur, inferendo, Ord. lib. III, tit. 8, art. 18; de quibus omnibus legibus dicta valet regula; navem igitur in locum destinationis ducere solius magistri cura est, et, si de rebus extraordinariis, nudae navis administrationis fines excedentibus, faciendis agatur, consilium nauticum audiat. Huius regulae quaedam exceptiones admittendae sunt. Sic magister nautas de itinere incipiendo velisque vento dandis consulere iubetur, legum Uliar. art. 2. urbis West-Cap. art. 2. legum Wisbic. art. 16. legis Francicae anni 1681, lib. II, tit. 1, art. 15, legis PHILIPPI II. anni 1563, Tit. *van Schipskueren ende breucken*, cact. art. 11. Huiusmodi exemplum etiam praebet legis Franc. anni 1681, lib. II, tit. 1, art. 25, qui officarios quotidie convocari iubet, ut deliberent de via iam perfecta et deinceps tenenda, de loco, ubi navis sit, aliisque. » Enjoignons à tous maîtres et Capitaines, qui feront des voyages de long cours, d'assembler chaque jour à l'heure de midy et toute les fois qu'il sera nécessaire, les Pilotes, Contre-maîtres, et autres qu'ils jugeront experts au fait de

la navigation; et de conférer avec eux sur les hauteurs prises, les routes faites et à faire et sur leur estime."

Haec duo praecepta, quae etiam in Ord. Bilbaoe occurrunt, vidd. Cap. 24. art. 21 et 34, iure Francico hodierno non sancita invenimus; quotidiana illa deliberatio hodieque usu viget, in fere omnibus, etiam nostris navibus mercatoriis. Codex Francicus, consilium nauticum in causis art. 234, 241, 249, 400, 410, 411, 426 citatis, audiri iubet; ex eo tamen non efficiendum est, de aliis extraordinariis rebus a magistro nautas consulendos non esse. Scilicet haec tantum exempla sunt, secundum quae dicere possumus magistrum de omnibus extraordinariis remediis, personarum, navis, merciumve salutis gratia, adhibendis, cum praecipuis nautis deliberare debere; Referimus ad ea, quae ait vir. cel. MAUGERET. C. de C. lib. III. pag. 293: «En général, toutes les fois, que le capitaine se trouve par des circonstances de force majeure, obligé de recourir à des moyens extraordinaires, il doit assembler ses officiers et délibérer avec eux sur le parti à prendre, soit pour le salut de l'équipage, soit pour la conservation du navire, soit pour l'intérêt des chargeurs." Idem dicendum de Ord. Bilbaoe. vid. Cap. 24, art. 26, 30, 38, 45, 46; de Cod. Merc. Hisp. art. 653, 661, 678, 938, 969, 981. de lege mar. Austriae, Cap. II. art. 19, 35. Lege Anglia de nullis rebus magister consilium audire tenetur. Codice Borussico, Pr. Landr. lib. II, tit. 8, § 1463, in causis magni momenti et dubiis a magistro nau-

tae consulendi sunt. Quod ad Codicem nostrum, art. 367, sicuti in Codice Lusitaniae, art. 1387, regula proponitur generalis, de omnibus nempe rebus magni momenti, consultandos esse mercatores nautasque: »In alle voorvallen van aanbelang, hetzij in het onder zeil gaan, kappen van ankers of masten, werpen van goederen, aannemen van helpers of ligters, het inloopen in een noodhaven, op het strand zetten van het schip, en wat dies meer zij, is de schipper gehouden zich te beraden,» caet. Quae-nam cae res sint, de quibus consilium audiendum sit, magistri arbitrio, tacente lege, definiendum relinquitur, nam non tantum res art. 367 enumeratae, sed etiam aliae gravis momenti esse censentur, quod ex eodem articulo efficiendum est, ubi legimus, »en wat dies meer zij,» quibus verbis manifesto apparet legislatorem enunciative, non restrictive locutum esse. De eo, quod in gravibus rerum momentis *faciendum sit*, consilium audiatur, quod etiam ex ultima articuli 367 alinea sequitur, ubi dicitur: »bij verschil van gevoelen wordt dat van den schipper *gevolgd.*» Primo tamen intuitu hoc verum esse non videtur, cum legimus *in omnibus casibus magni momenti*, sive *in itinere incipiendo*, iactu, caet., nemo vero dubitat, quin hic consilium audiri iubeatur, *de itinere incipiendo*, *de iactu faciendo*; et confitendum nobis est legislatorem haud accurate in art. cit. locutum esse, cum dicat, »in alle voorvallen van aanbelang, hetzij in het

onderzeil gaan, .... te beraden," nam primo Belgice non dicitur, »zich *in* het onderzeil gaan beraden," sed, »over het onderzeil gaan beraden," secundo, verbum »*hetzij*," iterum poni deberet; quod ideo notavimus quia variis interpretationibus locum dare potest.

Si iuris historiam attendimus, et quae iure Francico hodierno hac de re sancita sunt, concludendum nobis est, magistro de rebus magni momenti consilium audiendum esse, quae nudam navis administrationem excedunt; et vero ridiculum foret magistrum de rebus ordinariis magni momenti mercatores, exercitores et nautas consulere iuberi. — De iis praecipue rebus deliberatio fiat, quae avariae grossae locum dant, quo facilius probetur requisitum, nempe, ut *sponte* damnum datum impensaeve factae sint, adfuisse. Saepe enim illud admodum difficile est, e. g. in navis in littus appulsione, quo casu haud facile est scire, num *sponte*, vel ab invito atque vi tempestatis, navis in littus immissa sit. Animadvertendum etiam est fere omnia exempla a legislatore addita avariam grossam spectare.

Praeter art. 367, Codex noster art. 362 magistrum nautas de navi derelinquenda consulere iubet, art. 368 de mercibus, quae eiicientur, eligendis, art. 372 de rebus illis emendis, quae navi mercibusque necessariae sunt, cum loca et tempora exercitorum vel mercatorum mandata expectare non sinunt, et denique art. 374 de cibariis



vectoris in communem usum conferendis, si inopia per iter exstitit; universe igitur de iure nostro dicendum est, magistro in omnibus magnis rerum momentis consilium audiendum esse, de eo, quod personarum navis, merciumve salutis gratia extra ordinem faciendum sit.

---

## SECTIO II.

DE REBUS, QUAE AD DISCIPLINAM IN NAVI TUENDAM PERTINENTES  
DELIBERATIONIBUS CONSILII NAUTICI LOCUM DANT.

Consulatu maris aliisque medii aevi legibus, cum iuris criminalis notiones minus quam hodie excultae erant, barbarae saepe poenae a nautis sumebantur, de quibus nonnunquam magistri caeterique officarii et nautae diiudicabant. Eius rei exempla nobis praebent Consulatus maris capita 205 et 206. Vadorum explorator enim, qui navem per vada ducere promiserat, et imperitia navi periculum intulerat, morte plectebatur, si huius poena dignus iudicatus erat ab iis, qui in navi versabantur, vel eorum maiori parte (¹). De poena etiam custo-

---

(¹) » Néanmoins le patron ne sera pas seul juge pour décider si celui qui a été pris pour pilote doit perdre la

dum, qui somno se dederant; magistri nautaeque statu-  
ebant.

Lex Francica anni 1681 generali regula, art. 22, tit. 1, lib. II, magistrum, in itinere nautarum in disciplinam delicta, veluti ebrietatem, seditionem, vel iniurias rixasque vel si eius dictis audientes non fuissent, similiaque punire cupientem, consilium nauticum consultare iubebat: «pourront par l'avis des pilote et contre-maître faire donner la cale, mettre à la boucle et punir d'autres semblables peines, les matelots mutins, yvrognes et désobéissans, et ceux, qui maltraiteront leurs camarades, ou commettront d'autres semblables fautes ou délits, dans le cours de leur voyage.» Quem articulum secundum legem d. 22 m. Aug. a 1790 art. 61 in Francia adhuc valere varii contendunt scriptores, quod censent etiam de articulo sequenti, quo officariis de maioribus delictis et criminibus in itinere commissis, necessaria investigatio facienda omniaque indicia colligenda mandantur. Delinquentes carcere retinere et in portu Franciae, ubi navis onus recepit vel exoneranda est, Admiralitatis officariis tradere de-

---

tête; cette mesure doit être résolue par le contre-maître, les marchands et tout l'équipage. Si tous ceux qui viennent d'être désignés, ou la majeure partie reconnaissent et décident que le pilote doit perdre la tête, il doit la perdre; et s'ils ne sont pas d'avis, qu'il la perde, il ne la perdra pas, mais ce qu'ils resoudront sera fait et rien autre chose.»

bent (1). Ord. 29 Oct. anni 1833 hunc articulum ita confirmavit, art. 15, Tit. II: » Le capitaine remettra aux consuls, dans les lieux de destination, et dans ceux où la relache se serait prolongée au delà de 24 heures,.... les informations, qu'il aura faites à l'occasion de crimes ou délits, commis par des matelots ou passagers, pendant le cours de la navigation, conformément à l'obligation, que lui en impose l'Ord. de 1681.»

Iure Russico, nautae contra magistrum seditionis conatus consilio nautico locum dat, vid. Cod. Merc. Russicus art. 709 (2).

Quod ad ius nostrum hodiernum, nulla lex consilio nau-

(1) » Et pour ceux qui seront prevenus de meurtres, ... ou autres crimes capitaux commis en mer, les maître, contre-maître et quartier-maître seront tenus, à peine de cent livres d'amende solidaire, d'informer contre eux, de se saisir de leurs personnes, de faire les procédures urgentes et nécessaires pour l'instruction de leur procès, et de les remettre avec les coupables entre les mains des officiers de l'Amirauté du lieu de la charge ou descharge du vaisseau dans nostre Royaume.» Art. 23, tit. 1, lib. II.

(2) » Si pendant le trajet, un homme de l'équipage prépare un complot, qui aurait pour but l'insurrection ou la révolte, le capitaine réunira un conseil, composé du pilote, du second, du charpentier et du doyen des matelots: si ce tribunal le juge coupable, il sera condamné à une peine corporelle, qui ne pourra excéder douze coups de corde sur le dos.»

tico delictorum inquisitiones faciendas vel poenas sumendas mandat, nisi poenae civiles, quas magister sumere potest, tam graves sint navis merciumque saluti, ut rebus magni momenti, de quibus art. 367 agitur, accenseri possint, veluti quorundam officiariorum vel nautarum demissio in loco, ubi alios idoneos magister conducere nequit. In alia poena, sive flagellationis sive carceris, sumenda consilium nauticum non audiendum est, cum in iure nostro nulla lex occurrat, quae eas sumere permittit, de quo argumento postea agemus.

---

---

## CAPUT IV.

### QUAE FORMAE IN DELIBERATIONIBUS ET POST EAS OBSERVANDAE SINT.

---

Non multae in nautarum sententia roganda observantur formae. In capitibus tamen Consulatus maris modus subinde praescribitur, quem observare, quin verba etiam, quibus utendum sit magistro. Cum igitur procellarum vis iactum poscat, convocare omnes mercatores, iisque caeteris nautis praesentibus, periculum exponere iubetur, hac utens formula: »Messieurs les marchands, si nous ne nous allé- gions pas, nous sommes en grand péril et grande chance de perdre les personnes et les marchandises, et tout ce qui est ici; et si vous, messieurs les marchands, voulez que nous allé- gions, nous pourrons, avec la volonté de Dieu, sauver les personnes et une grande partie des mar- chandises, et si nous ne jetons pas, nous serons en péril et chance de nous perdre nous et toutes les marchandi-

ses." Si iactui consentiunt mercatores, unus eorum, si omnes id facere nequeunt, nautis in efficiendis mercibus exemplum dare, et scriba, periculo remoto, deliberationem scriptis notare debet, vidd. Cap. 54 et 66, in eo de iactu, mercatoribus scribaque in portu relictis, sermo est; si mercatorum tamen famuli adsunt, hi, cum caeteris nautis congregandi et consulendi sunt, ut postea quid factum sit et qua de causa recte constet. » Si, par évènement, l'écrivain est à terre avec les marchands et que dans le navire il y ait quelques domestiques de ceux-ci, le patron doit réunir tout l'équipage et ces domestiques, et tenir conseil avec eux: il doit déclarer devant ces domestiques et tout l'équipage les mesures convenues avec eux autant de fois, qu'il sera nécessaire, pour que chacun s'en souvienne bien, afin que, dès qu'il se trouvera réuni avec les marchands restés à terre, il ne puisse y avoir aucune discussion, et même, qu'aucun de ceux, qui auront assisté au conseil, ne puisse alléguer qu'il n'a pas entendu la délibération, et que personne ne l'y avait appelé."

Si tempestate aliave causa, navem in littus appellere cogitur magister, mercatoribus, praesentibus scriba, promagistro caeterisque nautis, necessitatem sic ostendere debet: » Messieurs, nous ne pouvons éviter d'échouer à terre, et mon avis serait, que le navire répondit des marchandises et celles-ci du navire." Vid. cap. 150. Hocce etiam casu nautae rei testes esse possunt, quod universe in itinere

fieri nequit, Vid. Cap. 178. Ratio cur verba in Cons. maris ita fere praescribantur haec est, quod ab iis pendeat contractus cum mercatoribus initus, de quo postea videbimus. In caeteris etiam medii aevi legibus nonnunquam verba magistro praescripta invenimus, veluti in art. 2 legum Uliar. Is enim, si portum relinquere cupit, sic nautas alloqui iubetur: »Voyez le temps, que nous avons. Si les uns disent, Ce temps n'est pas bon; si les autres disent, Ce temps est bel et bon, le patron doit se conformer à l'avis du plus grand nombre." Fere idem legimus in art. 16 leg. Wisb. et art. 2 legum urbis West-Cap. »Die meester is schuldig raedt te nemen met synen schipluyden: seggende (x), wij hebben weer en windt te zeylen." Art. 8 legum Uliar, si iactus necessarius est, magister mercium dominis dicit: »Il est nécessaire de jeter les marchandises pour sauver le navire." Multaque alia eiusmodi exempla nobis afferenda restant.

Ne tamen his verbis haereamus: magis iis leges laud. usae sunt, ut bene exprimat quae de re agatur. Neque lege Fr. anni 1681, neque PHILIPPI II anni 1563, neque posterioribus legibus, quibusnam verbis magistro utendum esset, praescribitur. Personas consulendas convo-

---

(x) Cff. *Bijdragen tot Regtsgeleerdheid*, VV. CC. DEN TEX en VAN HALL, ubi l. V, p. 41 legimus. »Ghy Heeren, wy hebben wint te seylen." »

care earumque de re facienda sententias tantum rogare debet; et in iis merito multae formae hac in re observandae magistro non mandantur, cum saepius tempestas hoc non sinat.

In medii aevi legibus sententia maioris partis eorum, qui consulendi erant, praevalebat. Vid. Consulat. maris Cap. 54, 150 caet. ubi de mercatorum consensu sermo est. Cap. 152 maioris nautarum partis consensus requirit, et in Cap. 54 et 66 legitur, »avec le conseil de tout l'équipage,» haud dubie tamen plurimorum consilium sufficiebat. In Legum Uliar. art. 2, et Consuet. Amst. art. 2 etiam de maiore nautarum parte sermo est; add. legum Wisbic. art. 2, Urbis West-Cap. art. 2, Damm. art. 2 et 9, legis PHILIPPI II anni 1563 tit. IV, art. 4. »by advyse van den meestendeel van de schiplieden.»

Quod regulae congruum erat: sententia, quae numero vincit, etiam rationis pondere superior existimabatur <sup>(1)</sup>; neque valere in his videtur praesumptio de maioris magistri rei nauticae peritia in his difficultatibus recte aestimandis.

In lege Francica anni 1681, si de iactu, vel malo secando vel anchoris relinquendis sermo est, et mercatores, hac de re consulti ad illam consentire nolunt, magistri et nautarum sententia praevalebat. Vid. art. 1, tit. VIII, lib. III; idem sancivit Cod. Merc. Francicus, art. 410,

(1) Vid. lex. 1. Dig. ad municip. 1. 2. tit. 1.



quod, si Consulatam maris excipias, omnes medii aevi leges iam statuerant. Cum tamen quaerebatur, quid faciendum esset, si etiam magister et nautae dissentirent, legislator Neerlandicus art. 367 Cod. Merc. statuit magistri obsequendum esse sententiae. »Bij verschil van gevoelen wordt dat van den schipper gevolgd.»

Deliberatio et subsecutum decretum in quotidiana rerum gestarum annotatione (*journaal*) notantur, et a magistro et gubernatore subsignantur, vid. art. 358 n<sup>o</sup>. 7 C. M. N. »de schipper is verpligt een dagregister of journaal te houden, hetwelk moet bevatten... 7<sup>o</sup> alle besluiten in den scheepsraad genomen,» Coll. art. 359, ibid. Vidd. Cod. Merc. Lusitaniae art. 1377, 8<sup>o</sup>. Hisp, 646. 3<sup>o</sup>. Ord. Bilbai cap. 24 art. 30, 45—46. Codex Merc. Franc. art. 224 al. 2. Iam in Consulatam maris multis capitibus de annotatione illa sermo est; scribae tunc in navibus mercatoriis aderant, qui omnia notarent. Cum tamen postea magistri scribendi artis magis periti fiebant, ipsi res gestas, impensas, aliaque notabant et praeceptum, quod adhuc in lege Fr. a. 1681. lib. II, tit. III occurrit de scriba deliberationes libro suo inscribente (vid. art. 3. »L'écrivain y escrira pareillement toutes les délibérations, qui seront prises dans le navire, et les noms de ceux, qui auront opiné; lesquels, il fera signer, s'ils le peuvent, sinon il fera mention de l'empêchement.») neque in Francico neque in nostro Codice receptum est, cum scribae partes nunc magister agat.

Quod ad iactum, Cod. Merc. Neerl. art. 368, speciali scripto, quum primum fieri possit, deliberationem mandari iubet, »de schipper is verpligt, de beraadslaging deswege gehouden in geschrift te brengen, zoodra daartoe de gelegenheid zal zijn.» In scripto illo rationes referendae sunt, quae ad iactum faciendum duxerunt, et indicari debet quaenam merces eiectae sint. Omnes, qui consulti sunt scriptum illud subsignant, et si subsignare nolunt rationes ab iis allatae eodem scripto indicantur. Quo peracto, in quotidianam rerum gestarum annotationem illud scriptum transfertur. Idem iure Francico sancitur. Vidd. etiam Cod. Merc. art. 412, Cod. Merc. Hisp. art. 940.

Aliarum deliberationum quam dei actu speciale scriptum testimonium confici lex non iubet, neque legislator iubere voluit, vid. VOORDEN o. c. l. IX, p. 468, ubi legimus, quaerentibus, num art. 368 ad omnes casus, de quibus art. 367 agitur, referendus esset, negando responsum fuisse; mirum tamen est legislatorem talem exceptionem, quod ad iactum admisisse, et optandum nobis videtur, ut ad omnes casus, qui magistrum consilium audire possunt, extendatur. Talis scripta relatio non tantum eo inservit, ut postea constet, consultationem et deliberationem requisitam revera locum habuisse, ne magister eam postea fingere possit, sed etiam ut caeterorum nautarum sententiae et ut causae, ad eas defendendas allatae cognoscantur. Praeterea prudentius et rectius nautae sententias emittent,

si quaedam formae observantur, si certo sciunt sententias prolatas scripto mandari posteaque de iis apud iudicem saepe agendum esse. Eleganter ea de re dixit BOULAY PATY. » Quand l'équipage est convoqué pour délibérer, il sent alors toute l'importance de l'avis qu'il va donner, l'obligation de le souscrire le rend naturellement plus attentif à ce qu'il va faire; non seulement il s'occupe de la position embarrassante où il se trouve, mais il réfléchit aux suites du parti qu'on lui propose, les esprits s'échauffent, le cri de l'honneur se fait entendre, l'homme le plus lâche est excité par l'exemple et souvent le plus imminent péril est bravé. »

Magister in primo portu, in quem navis devecta est, de veritate rerum ita relatarum, coram magistratu (vid. art. 380 Cod. Merc. Neerl.) statim si fieri potest, sub iureiurando testari debet: vid. art. 369 C. M. N. et 413 C. M. F., quod intra viginti quatuor horas faciendum est. Vid. etiam Cod. Merc. Hisp. art. 940.

Quod ad caetera consilii nautici decreta, quae in quotidiana rerum gestarum annotatione notanda sunt, de iis idem dicendum est, quod de ipsa illa annotatione valet. Scilicet in quocumque portu, quem intravit navis, a magistro magistratui lege designato intra tres dies post adventum inspicienda afferri debet; vidd. art. 379 et 380 C. M. N., iuxta quos magistro de itinere relatio facienda est; art. 381 autem tabulis exhibitam apponi iubetur. Iure

Francico hoc intra viginti quatuor horas post adventum faciendum erat, sed merito iure nostro illud mutatum est, cum saepius caetera magistri officia hoc intra 24 horas fieri non sinant. Denique ius nostrum sancit magistrum, qui naufragium vel damnum quoddam passus, vel qui alium portum, quam destinationis intrare necessitate coactus est, intra 24 horas post adventum, coram magistratu lege designato, cum omnibus officariis et nautis sub iureiurando relationem facere debere, vid. art. 383 C. M. N. coll. art. 384 eodem et Codicis Merc. Fr. art. 246 seq. Illas relationes probationi inservire non est, quod moneamus; in commodum praecipue magistri assecuratorumque sunt institutae. Iam antiquitus illas notas fuisse apparet ex Const. 2 et 3 Codicis de naufragiis, lib. XI, tit. 5. »Si quis navicularius naufragium se sustinuisse affirmet, provinciae iudicem, eius videlicet, in qua res agitur, adire *festinet*, ac probet apud eum cum testibus eventum: relatione etiam ad sublimissimam referatur praefecturam: ita ut intra anni spatium veritate revelata competens dispositio procedat.» Sed huic quidem capiti finem imponamus, ne nimis ab argumento aberremus.

---

## CAPUT V.

### DE CONSILII NAUTICI AUCTORITATE.

---

Diversa fuit haec auctoritas variis temporibus; liceat nobis igitur etiam historice de ea agere et qualis antiquitus fuerit inquirere: eandemque divisionem, quam Capite tertio admittentes, prima sectione agemus de consilii nautici auctoritate in cura navis merciumque gerenda; secunda sectione, in disciplina in navi tuenda.

---

### SECTIO I.

#### DE AUCTORITATE CONSILII NAUTICI IN CURA NAVIS MERCIIUMQUE GERENDA.

---

§ 1. *De consilii nautici auctoritate in comprobandis vel improbandis rebus a magistro gerendis.*

In iure Romano perpauca de nostro argumento invenimus. PAULUS Ictus l. 2, § 1, Dig. de lege Rhodia de iactu,

ait: »Si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut si quid exarmaverit: nulla facienda est collatio:.... sed si voluntate vectorum vel propter aliquem metum id detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet.» Si illud *vel* cum **NOOTRIO** ad hunc tit. coniunctivo sensu accipimus vectorum consensus requiritur, ut damnum navi datum resarciatur. Idem dicendum est si **CUIACII** sententiam sequimur, qui lib. 24. Cap. 35, **Observ.** verbum *vel* eïici cupit, et legendum censet, »sed si voluntate vectorum propter aliquem metum id detrimentum factum sit.» caet. Sententia illa comprobari videtur § 3. tit. 7. lib. II. **PAULI** Sent. »nave vel arbore vi tempestatis amissa, vectores ad contributionem non tenentur, nisi ipsis arborem salutis causa eruentibus navis salva sit.» Argumentum tamen nobis non satis valere videtur, ut a vulgari usu verbi *vel*, quo disiunctivo sensu communiter utimur, recedamus. Porro consensum vectorum tamquam conditionem requiri, ut damnum navi propter iustum metum datum, resarciatur, recepto principio, iam initio tituli prolato, nempe, quod pro omnibus datum est, omnium contributione resarciri, contrarium videtur. Denique in eiusdem tit. lege 5, **HERMOGENIANUS** de voluntate vectorum non loquitur, cum dicit: »arbore caesa, ut navis cum mercibus liberari possit, aequitas contributionis habebit locum.» et similiter **PAPINIANUS** lib. 19, **Respons.** »quum arbor, aut aliud navis instrumentum, removendi communis periculi causa,

deiectum sit, contributio debetur." Jure Romano igitur tanta auctoritas vectoribus non tribuitur, sed si constabat magistrum necessitate vel iusto metu egisse, hoc sufficebat.

Consulatus maris tempore consilii nautici multo maior erat auctoritas, quam quae hodie ei tribuitur. Pendebat illa maxime a personis, quarum consensus requirebatur, ut iam vidimus magistrum de multis rebus mercatores, de aliis nautas consulere debere. Ubi tamen de mercatoribus consultandis sermo est, magister magis cum iis contrahere, quam eos consulere videtur, unde sequitur mercatorum consensum in his conventionibus haud dubie requiri. Haec confirmantur Cap. 54, aliisque Consulatus maris, ubi legimus ad iactum mercatorum consensum requiri eosque primos merces eicere debere, ut de eorum consensu constet. Ex verbis ipsis Consulatus maris perspicue illud apparet, periculo enim remoto «l'écrivain doit rédiger la convention, de même que si le navire était amarré, et si l'écrivain ne peut pas l'écrire, les matelots peuvent rendre témoignage de toutes les *conventions* et accords passés entre le patron et les marchands..." Vid. Cap. cit. Praecipue de contributione rerum servandarum damno navi vel mercibus inferendo magister cum mercatoribus contrahebat; videntur scilicet mercatores et exercitores a iuris Romani praecepto, omnium contributione sarciri, quod pro omnibus datum est, ipsis ineundis conventionibus quod ad modum

huius contributionis, saepius recessisse. Mercium dominos magis magistro mandare vel aliter cum eo contrahere, quam cum eo deliberare alia etiam ostendunt Consulatus maris capita. vidd. Cap. 48. »Le patron doit aller de conserve.... si les marchands y consentent. (ho volen).” Cap. 44, 49, caet.

In plerisque hisce capitibus sancitur magistrum, si contra mercatorum voluntatem egerit ipsum de damno teneri: »Si les marchands éprouvent quelque dommage grief ou préjudice par la convention, que le patron aura faite ou fera sans leur consentement, le patron doit les indemniser entièrement, quand même le navire devrait être vendu.” Cap. 49; vid. etiam Cap. 239: »Si par évènement, lorsqu’il y a des marchands à bord, le patron jette des marchandises sans leur connaissance et consentement, il est obligé d’indemniser les marchands...,” et Cap. 243: »Si le patron va à l’abordage... sans la volonté des marchands.... ce qu’ils en souffriront de dommage..., le patron soit le supporter.” Cum domini mercium consentiant, ex rei natura sequitur, eorum consensum magistri gesta rata habere, quod ad mercium curam attinet. Caeterum nautarum consilium nostro magis simile est, quamquam multo maior ei tribuebatur auctoritas. Et hoc revera iis temporibus congruum erat, cum magistri rei nauticae saepe minus periti, veterum nautarum consiliis quam maxime indigerent. Eorum imperitiam testatur



Cap. 205, *Consulatus maris*, ubi legimus, magistros saepe bene iudicandi facultate carere, multisque navigandi artem ignotam esse: » Parmi les patrons... il y en a qui manquent de bons sens: et encore plus, il y a beaucoup de patrons qui ignorent, qui doit aller en avant ou en arrière, et ce que c'est que la mer. » Fortasse etiam maior illa auctoritas sequela erat democraticae regiminis formae, quae antiquitus vigeat et adhuc in medii aevi multis institutis vigere pergebat, et cui quod ad hocce argumentum haud parum contribuebat communitio periculorum et incommodorum, quae simul magistri nautaeque patiebantur. Nautae non tantum deliberabant et sententiam ferebant de quarundam rerum a magistro gerendarum necessitate et utilitate, sed eorum voluntate et assensus requirebantur, ut tuto agere possit magister. Hoc obtinebat cum societatem cum aliis navibus inire cupiebat magister; Cap. 48, vel viam mutare, periculo merces in loco destinationis minante, Cap. 167, vel navem mercesque ab hostibus redimere, navibusve amicis armatis munera vel cibaria (des étrennes ou rafraîchissemens) donare, Cap. 185, caet.

Si mercatores non aderant magister eorum tenebat locum, et si bona fide, et de consilio maioris nautarum partis merces obligaverat, quasi conventionione mercatores tenebantur, vid. Cap. 152 *Consulatus maris*: » S'il n'y a aucun marchand à bord, et que le patron associe le na-

vire avec les marchandises, d'après l'avis de tout l'équipage du navire, ou du plus grand nombre ce qui aura été fait doit être aussi valide, que si tous les marchands y eussent été, ou comme si toutes les marchandises lui appartenait." Ad illud explicandum hic dicendum est, mercatores Consulatus maris tempore merces mutuo assecurare incepisse, qui etiam cum magistris de omni damno, quod naves vel merces passae essent, contributione servatarum rerum resarciendo contrahebant. Modus contributionis contractu definiebatur. — Quibus contractibus nobis mutuae assecurationis prima exempla tradi videntur, et inde fortasse notissimi assecurationis contractus origo ducenda est. Vid. tamen l. 1. pr. Dig. de per. et comm. rei venditae. et CICERO, Epist. ad famil. l. II, Ep. 17. Sed ad argumentum redeamus. Si mercatores non aderant et magister quid extraordinarium necessitate iubente perficere cupiebat, ut merces eiicere, navem in littus appellere, caet., hoc suo marte efficere non poterat, sed nautarum consensu indigebat, quibus assentientibus illud facere ei permittebatur, vid. e. g. Cap. 66, » si le patron agit comme il vient d'être dit, tout ce qui aura été fait vaudra autant que si tous les marchands ou la majorité avaient été présents. Bien plus, s'il arrivait le malheur que le navire par cause des bâtimens armés ou de la tempête, fut obligé d'échouer, le patron agissant ou ayant agi de la manière ci-dessus par le conseil de tous les susnommés et

avec leur connaissance et agrément, toute convention ou tout accord, qu'il aura fait avec eux de la manière ci-dessus, ne pourra être contesté par aucun marchand, ni par quelque autre." Ex quibus fragmentis et nonnullis aliis *Consulatus maris capitibus*, 54, 150 sqq. quae hic tradere speciminis brevitatis non sinit, facile intelligemus, consilii nautici auctoritatem medio aevo maiorem fuisse, quam quae ei *Codice nostro* tribuitur. Non tantum consilium nauticum approbatione sua magistri gesta sanciebat, sed nonnumquam nautarum voluntas ei lex erat, quam si non exsecutus erat, omne damnum inde ortum resarcire debebat, teste *Cap. 167*; vid. etiam *Cap. 186*.

Vir *Clar. et aest.* VAN HALL, in *Diss. II*, p. 60, de consilii auctoritate loquens, ait: »non tantum rogata eius sententia faciendum erat quod ei placuerat, nisi omne periculum in se suscipere vellet magister, verum praeterea, si ultro aliquid fieri vetarent nautae, contra eorum sententiam agere non poterat."

In caeteris *medii aevi legibus* fere eandem ac in *Consulatu maris* auctoritatem consilio nautico tribui invenimus.

Quod tamen ad mercatorum consensum attinet, leges illae statuunt, magistrum nolentibus mercatoribus extraordinarium quid perficere posse, modo tres nautae adprobent posteaque itinere peracto de rei a magistro gestae necessitate iusiurandum praestent, vidd. *legum Wisbic. art. 22, 23*, *Urbis West-Cap. 9, 10*, *Damm. 8, 9*, *legum Uli-*

ar. 8, 9, Consuet. Amstell. art. 2, pr. » Waer 't dat een schip nood hadde, soo dat de schipper begeerde dat men goed werpen soude, hy en sal niet werpen, sonder hy sal hem eerst bespreken met den koopmannen in 't schip, wat haer goeddunken daer toe is: wil de koopman dat niet toelaten dat men werpen sal, en dochtet den schipper goed ende van den schipluiden twee of drie...; soo mag de schipper wel werpen ende des niet laten." Consilii nautici, proprie sic dicti auctoritas praecipue constabat in negotiis a magistro gerendis approbatione sancientis. Eius decreta obsequi debebat et si contra nautarum vel maioris eorum partis voluntatem egisset, damnum inde ortum resarcire tenebatur; vidd. artt. 1, 2, 8, legum Uliar. 16, Wisb. 1, 2, § 7. Consuet. Amst. 2, leg. Damm. et art. 2, urbis West-Cap.: » Een schip licht in de haven, verbejdende tydt ende windt, ende als 't van daen varen sal, die meester is schuldich raedt, te nemen met synen schiplieden... en overeen te dragen metten meesten ghevolghe; ende daede hy anders, hy ware schuldich schip en goed te gheldene, blyvet achter opdat hebbet, alsoo waer mede. Vid. etiam art. 11, Tit. IV, legis PHILIPPI II, anni 1563... sal die schipper... volghen t'segghen van den meesten deel van dien, op die peine, dat indien hy anders dede, ende daer eenighe schaede af quame aen 't schip of te goet, hy ghehouden zal syn, die schade te beteren."... — In iis rebus, cum magister aliquid extraordinarium perfecisset,

consensus nautarum tantam auctoritatem habebat, quia eo constabat, iustum adfuisse metum, id est, illum metum, qui non est vani hominis, sed qui merito et in hominem constantissimum cadit. Vid. lex 6. Dig. quod metus causa.

Lege Francica anni 1681, consilio nautico multo minor auctoritas tributa fuisse videtur; in plerisque articulis, qui consilium audire iubent, nulla addita est sanctio poenalis in casum si magister contra praecipuorum nautarum egerit sententiam., Vidd. lib. II, tit. I, art. 15, 19, 25, 26, 33. tit. II, art. 8, lib. III, tit. VIII, 1, 2, 3, 18, quae loca nullam expressam addunt poenam, in quo Codici Francico similia sunt, quare quod de eo dicemus, etiam de lege illa valebit. Maiorem tamen tunc fuisse auctoritatem apparet ex art. 8, tit. 4, lib. II, ubi legimus, magistrum vadorum exploratorem cogere non posse, ad navem per vada periculosa ducendam, et ad vias sequendas invitum, quodsi ab eo dissentit, praecipuorum nautarum consilio illi obtemperandum est.

Jure Francico hodierno nautarum consensus non sancit res a magistro gestas, sed vel sic magister de dolo et omni culpa (*des fautes même légères*) tenetur. Vis maior tantum eum excusat, eique incumbit probatio, ut de ea constet (¹). Cum tamen magister omnium vel maioris partis praecipuorum nautarum sententiam secutus est,

(¹) Art. 224—229 C. M. F. exceptionem admittunt.

praesumptionem admittamus, eum recte et utiliter egisse, quae praesumptio tamen nobis moralis tantum esse videtur, magistrumque non liberare ab onere probandi, se necessitate coactum extraordinarium quid peregisse. Vid. VALIN ad art. 9, t. 1, l. II, Ord. a. 1681: »Le Capitaine est tenu de toute faute procédant de son fait ou de sa négligence, même de la faute.... très-légère; de manière qu'il n'y a que le cas fortuit, qui puisse l'excuser. Et c'est à lui à prouver le cas fortuit." Videtur vir. Clar. et aest. VAN HALL in Diss. de magistro navis. l. II, pag. 63, aliam tueri sententiam, cum dicat, » qui plurimorum sententiae obsecutus est, praesumptione gaudet, utile fuisse quod egit, sed si contra eam aliquid fecit, sua vice se prudenter et utiliter egisse probare debet." Quae de jure Francico diximus, etiam de nostro valent; magister igitur, lite ea de re orta, etiam cum omnes nautae eius gesta adprobaverint, rite ostendere debet, se contractus legi obdivisse, et tantum necessitate extra ordinem egisse. Huc inservient dicta praesumptio, nautarum testimonia, requisitaeque relationes (*verklarungen*), et praecipue, quotidiana rerum gestarum annotatio, cui fides habenda est, donec contrarium probetur. Idem dicendum est de Codice Lusitaniae, de Ord. Bilbai, et de Codice Borussico. Codex Hispanicus art. 661. dicit: »la décision sera prise à la majorité," unde nobis sequi videtur, magistrum, qui huic decreto consilii obtemperavit, tutum esse. Videamus tamen, quid iuris sit, si magister

contra plurimorum nautarum sententiam egerit. Codex Napoleonicus non expresse statuit, magistrum contra plurimorum praecipuorum nautarum sententiam agere posse, ut legitur in art 410. » il prend l'avis des intéressés au chargement, qui se trouvent dans le vaisseau, et des principaux de l'équipage. S'il y a diversité d'avis, celui du Capitaine et des principaux de l'équipage est suivi." Magistrum autem, etiam omnibus nautis dissentientibus, suam voluntatem perficere posse nobiscum affirmat EMÉRIGON, *Traité des assurances*, lib. I, pag. 376, ubi dicit, hic sermonem non esse de iudicio nonnullorum, quorum sententiae numerantur, sed earum gravitati attendendum esse (1). Vid. etiam viri Clar. VAN HALL, Diss. l. II, p. 62. » Concedimus omnino ex plenitudine suae potestatis, ex eo quod navi praefectus est, posse magistrum iubere ea, quae contraria sunt consilii nautici sententiae, neque posse resistere nautas etiam universos." In eo ius nostrum a Francico differt, quod expresse iubeat, ut dissentientibus consilii nautici partibus magistri sententiae obsequantur, art. 367.... » Bij verschil van gevoelen wordt dat van den

---

(1) » Il ne s'agit pas ici d'un jugement où les voix se comptent, et ne se pèsent point. Le capitaine est maître. Il est obligé de prendre avis; mais la loi ne l'oblige pas à se soumettre aveuglement à cet avis, s'il est mauvais, ou si dans les circonstances, il paraît mauvais." »

schipper gevolgd." Sunt, qui dicant, magistri sententiae tantum obtemperandum esse, cum nautae inter se dissentiant, et omnibus praeter magistrum consentientibus, eorum faciendam esse voluntatem. Hoc tamen neque ex verbis articuli patet, neque legislator voluit, sicut deliberationes in ordinibus generalibus habitae ostendunt. Vid. VOORDUIN, *Geschied.* IX, pag. 466, sq. Sectio enim quarta quaesivit, cuinam sententiae obtemperandum foret, si pars nautarum a magistro dissentiret, sed cum praesentibus exercitoribus vel vectoribus eandem sententiam coleret; adprobandum videbatur, si etiam eo casu magistri sententia vinceret. Cui observationi tale responsum dedit minister regius: »Overigens had men,.... door eene verandering in het slot van art. 25 (speciminis anni 1825) allen twijfel doen ophouden in geval er verschil van gevoelen mogt ontstaan tusschen den schipper en de voornaamsten van het scheepsvolk." Ten slotte van gezegd artikel 25 waren namelijk bijde nieuwe redactie (1825) de woorden, *en van de voornaamsten van het scheepsvolk*, doorgehaald." Praeterea voluntas legislatoris non tantum ex hocce articulo, sed etiam e caeteris, ubi de consulendis nautis sermo est perspicua est. Ibi legimus, *consilio audito, sententia praecipuorum rogata* (»na beraad; na het oordeel van de voornaamsten.... gevraagd te hebben"), unde satis apparet legislatorem Neerlandicum tantum voluisse, ut deliberatio



locum haberet (1). Et merito eius fiat voluntas, qui in navi princeps est et caput, ille enim nautas conduxit iisque imperat; cum illius auctoritate congruum est, legem subditorum obedientiam poscere; ille navem administrat merciumque curam gerit; damnum universe, e nautis etiam datum resarcire tenetur; ab illius rei nauticae peritia multorum pendet vita, navis merciumque salus; quam peritiam apud eum prae caeteris praesumere debemus. Magister etiam contra omnium caeterorum opinionem ea non solum potest, sed *debet* facere, quae sibi navis merciumve salus poscere videtur (2). Hoc confirmatur articulo 345 Cod. Merc. Neerl. »Hij is verplicht alle mogelijke naarstigheid, toezigt en zeemanschap te gebruiken, en aan den eigenaar of de reederij te vergoeden alle kosten, schaden en in-

---

(1) Vid. etiam art. 48, legis speciminis anni 1822, ubi legebatur, »niet, zonder het goedvinden der officieren en voornaamsten,» caet.; quod art. 362, sic mutatum est, »niet, zonder den raad te hebben ingenomen,» caet.; add. art. 358, 7<sup>o</sup>. ubi legitur, »de besluiten *in* den scheepsraad genomen.»

(2) V. C. LIPMAN eandem sententiam tueri videtur in annotatione ad Cod. Merc. Neerl. pag. 139: »... bij art. 367, W. v. K. is ... vastgesteld, dat bij alle voorvallen van eenig aanbelang hij *gehouden* is zijne reeders of derzelver gemagtigden te raadplegen; en bij verschil van meening *zijn eigen gevoelen te volgen.*»

teressen, in de uitoefening van zijn beroep door ontrouw of schuld veroorzaakt."

Ne igitur iuris praesumptionem in magistrum, qui suae sententiae obsecutus est, admittamus, et, si maioris partis sententiae gravitatem attendimus, non tamen obliviscamur, magistrum, propter munus ei delatum, praecae caeteris nautis rei nauticae peritum praesumendum esse. Sunt, qui dicant, vanum tunc fore legis placitum, quod sententiam nautarum rogari iuberet, cum tamen iis dissentientibus suae obsequi possit magister. Cf. Cons. et amic. WILDSCHUT, Diss. pag. 63: »Etiam si e legis nostrae verbis effici posset, magistro proprio Marte statuendi facultatem concedi, illud tamen negandum esse censemus. Quid enim verba illa significarent, »in alle voorvallen van aanbelang is de schipper...." art. 367, al. 1. Vanum esset illud legis placitum, nautarum praecipuorum sententiam esse explorandam, cum simul magister voluntatem suam sequi posse diceretur." Monemus, primo, talia placita legi nostrae non deesse, teste art. 92 C. C. N., ubi legimus, liberos minores nuptias inire non posse, nisi consensu patris et matris rogato, matrem tamen, vivente patre, eas impediendi facultatem non habere; sed praeterea vanum prorsus esse hoc placitum ne credamus: legislator enim videtur voluisse magistrum se certiore facere, sententias caeterorum nautarum rogando, et fortasse, ut, in rebus, quae avariae grossae locum dant, quarum multae eodem articulo 367 enumerantur, facilius

postea constet, damnum, ad navem mercesque servandas, sponte (*opzettelijk*), quod avariae grossae requisitum est, datum, impensasque factas esse. Codex Lusitaniae, art. 1387 iisdem verbis ac noster art. 367 utitur, de eo igitur idem dicendum est, uti de Codice Borussico, in quo expresse additur, magistrum ad sententiam caeterorum nautarum sequendam non obstringi, sed teneri, si ab ea recessit sine iusta causa, quam probare debet. Vid. Pr. Landr. lib. II, tit. 8, § 1463. coll. § 1466 eodem <sup>(1)</sup>.

§ 2. *Quid iuris, si magister navis consilium nauticum convocare et audire neglexerit?*

Magister, qui nautas consulere omisit haud dubie in culpa est, quod contra legis placita egerit, cum art. 367, eum in omnibus casibus cuiusdam momenti nautas consulere iubeat; praesumptionem quamdam inde oriri contra magistrum non negamus, illam tamen usu valde minui animadvertimus, cum raro magistri per iter nautas rite consulant, quamquam res secundum nostrum art. hoc possunt. Si e. g. magister vela vento dare portumque relin-

(1) » An die Meinung des Schiffsraths ist der Schiffer zwar nicht gebunden; wenn er aber demselben ohne erhebliche von ihm klar zu erweisende Gründe zuwider handelt: so macht er sich wegen des daraus entstehenden Schadens verantwortlich.»

quere cupit, fere numquam consilium hac de re audit: tale quid enim nautarum in magistri peritia fidem valde minueret. — Etiam si periculum in mora est, magistrum, cum praecipuis nautis deliberare debere ex iisdem verbis patet, quod etiam legislator voluit. Vid. VOORDUIN, o. c. IX, pag. 466: »De 1<sup>ste</sup> afdeeling stemde toe, dat men niet te veel aan den *schipper alleen* behoort over te laten, doch hem van de andere zijde niet moet hinderen in het bevelen van eenen maatregel, waarvan in één enkel oogenblik het verlies van schip en lading kan afhangen. Men gaf in bedenking, hem van alle raadpleging met anderen, te ontheffen opzigtens het onderzeil gaan, het verlaten der ankers en het kappen van masten en kabels. Ten opzichte van den tijd, welke zoude worden vereischt om, in het geval van dit artikel, bij dringende omstandigheden scheepsraad te houden, merkte de Regering bij Hare antwoorden aan, »dat daartoe slechts één oogenblik vereischt wordt, omdat allen die geraadpleegd moeten worden, zich aan boord van het schip bevinden.»” Miramur talem sententiam in Ordinibus Generalibus prolatam fuisse, nam, si tempestatis vi extraordinarium quid perficere magister cogitur, non tantum tempus deliberationem saepius vix patitur, sed fere impossibilis est, cum semper tali occasione mercatores et vectores a navis tabulatu (*dek*) removeantur, caeterique nautae variis officiis impediuntur. Praeterea, si magister eos omnes convocare deberet, tu-

multus quam maxime augetur, quod revera admodum periculosum omnium saluti foret.

Jam olim, vid. Cap. 239 (1) Consulatus maris, magister merces eiicere poterat, mercatoribus nautisve non consultis, si imminens periculum deliberationem non sinebat. Posteriores etiam leges et omnes iuris interpretes distinxerunt iactum regularem inter, et irregularem; ille locum habet cum periculum non immineat, et tempus quoddam supersit ad deliberandum, num iactus fiat et quid eiiciatur: tunc omnia ordine riteque peragenda sunt. Iactus irregularis formas atque orationes non sinit; navis enim in periculo est percundi, quisque eam mercibus eiiciendis servare conatur. Eandem distinctionem Francisci coluerunt Icti. Vid. EMÉRIGON I, pag. 605.

Et quamquam legislator noster in omnibus casibus gravis momenti consilium audire iussit, tamen credimus, magistrum, qui periculo imminenti motus, aliquid sine praevia deliberatione extra ordinem perfecit, de damno inde orto non teneri, sed tutum fore: eique facile erit, se necessitate coactum egisse, probare, rerum gestarum quoti-

---

(1) Le patron peut faire jeter par le conseil de tout l'équipage ou de la majorité, s'il a le temps de les consulter: mais si la tempête les ayant surpris subitement, le patron jette ou fait jeter sans pouvoir prendre conseil, comme il à été dit, ce jet sera tenu pour aussi valable, que s'il avait demandé conseil.

diana annotatione, relationibus, nautarumque testimoniis (x), Vid. art. 345 Cod. Merc. Neerl. Si tamen sine necessitate nautas consulere neglexerit, iam diximus praesumptionem contra eum admittendam esse; sanctionem tamen poenalem legislator non addidit, ut tot aliis articulis Cod. Merc. Neerl., qui illa quam maxime indigent. Revera si damnum exercitores merciumve domini passi sunt ex eo, quod magister nautas non consultaverit, eorumque consiliis igitur privatus fuerit, illud magister resarcire tenebitur; sed omne damnum, consilio nautico non audito, a magistro navi mercibusve illatum, ab eo resarciendum non est, dummodo constet vi maiore coactum eum egisse, vid. art. laud. Sic Icti, ASSER aliique in annot. ad Cod. Merc. Neerl. pag. 149, minus recte dixisse nobis videntur: »die (de schipper).... bij verzuim van daaraan te voldoen, verantwoordelijk zoude zijn voor de schade, te weeg gebragt door eenen maatregel, welke hij genomen heeft, zonder genoemde personen te raadplegen.»

Consulatus maris cap. laud, cum consilii auctoritas

---

(x) Curiosa TARGAE observatio est, quae a VALINO, nobis traditur, pag. 664, *Le nouveau Valin*: »Cet auteur observe que pendant soixante ans, qu'il à été magistrat du consulat de la mer à Gènes, il n'a vue, que quatre ou cinq exemples de jet régulier, lesquels furent suspects de fraude, par cela seul, que les formalités avaient été trop bien observées.»

maior esset, quam hodie, magister damnum resarcire tenebatur, quod mercatores iactu passi erant, si merces quasdam eiecisset, illis non consultis, dum tempestas deliberationem sinebat (¹). Eiusmodi placitum adhuc in Codicis Hispanici art. 939 occurrit (²).

Quaestio tamen solvenda restat, num scilicet damnum datum et impensae factae necessario, sponte et ad communem salutem promovendam, sed sine deliberatione requisita, omnium contributione resarcienda sint.

Quod ad impensas resarciendas, grave dubium contra illud moveri potest. In Codice enim nostro placitum occurrit, quod primo intuitu principii receptis contrarium videtur. Art. 699, § 23, dicit: » Gemeene avarijen zijn... in het algemeen alle schaden die uit nood, opzettelijk veroorzaakt, en als onmiddelijk gevolg van dien, geleden zijn, en de kosten, die in gelijke omstandigheden, na de

(¹) » Si par évènement, lorsqu'il y a des marchands à bord le patron jette des marchandises sans leur connaissance et consentement, il est obligé d'indemniser les marchands, au cas il pourra être prouvé, que c'était un cas de jet ordinaire. »

(²) » Lorsque les chargeurs présents ne sont pas consultés, dans le cas de l'article précédent, ils sont exempts de contribuer à l'avarie commune, le capitaine devra payer la part, qui était à leur charge, à moins que, vu l'urgence, le capitaine n'eût manqué de temps, et d'occasion pour prendre l'avis des chargeurs. »

vereischte raadpleging zijn gemaakt tot behoud en gemeen welzijn van schip en lading."

Quibus verbis nautarum deliberatio tamquam conditio requiri videtur, ut impensae, etiamsi ad communem navis merciumque salutem factae sint, pro avaria grossa habeantur. Diximus de impensis, nam quamquam legislatoris voluntas fuit, ut illud »vereischte raadpleging," de omni damno art. 699 enumerato valeret, vid. VOORDUIN, o. c. lib. X, pag. 473, hoc tamen ipsis articuli verbis non exprimitur. Ne tamen diliberationem, ut impensae illae avariae grossae computentur, stricte requisitam esse credamus. Jure patrio antiquo haec deliberatio requirebatur, ut avaria grossa et igitur contributio locum haberet, quod principium a iuris interpretibus colebatur. Vidd. VERWER, *Ned. See-R. Aenteikeningen*, pag. 116, et VAN DER KEESSEL, *Theses Selectae*, Th. 785: »Ut damnum sponte datum

(<sup>1</sup>) » Daer sijn vereischte dingen...."

I. Dat sich.... opdoe een nootd ofte swarigheid.

II. Dat die van den schepe in dienselven nootd toetreden by *ordentlyk beraedt en verkiesinge*, selve als doenders de voorsieninge en voorsorge te plegen van cenige schade oft kosten aen of, om 't schip ende goedt buitengewoon, te ondergaen: met insicht van de reste ten beste van de eigenaars te behouden.

III. Dat, door sulx, het schip behouden werde. Soodanig dan, dat, alwaer deze III dingen t' samenkomen, haverye grosse is: ende anders ook wederom niet."



pro avaria grossa possit haberi, requiritur etiam, ut magister prius consilium ineat cum mercatore eiusve institute, si praesentes sint: si non sint aut dissentiant, cum nautis ipsis, quorum maiori parti standum est,.... si autem consilium hoc capere neglexerit, ipse de damno tenetur."

Si igitur magister mercatores, iisque absentibus, nautas consultare omiserat, damnum sponte datum pro avaria grossa non habebatur; vid. etiam Codex Merc. Hispanicus l. 1., ubi idem sancitum invenimus; additur tamen »à moins que vue l'urgence, le capitaine n'eut manqué de temps, et d'occasion pour prendre l'avis des chargeurs." art. 939.

Cum vero posterioribus legibus consilii nautici auctoritas valde minuta sit minusque formae observentur, cum eo congruum nobis videtur, nautas a magistro consuli, non amplius striete requiri, ut avariae grossae damnum impensaeque computentur, dummodo tria adsint requisita, nempe, ut necessitate, sponte et ad communem navis merciumque salutem factae sint. — Hoc etiam efficiendum est ex deliberationibus ea de re in Ordinibus Generalibus habitis; vid. VOORDUIN, o. c. X. pag. 474 sqq. »De 5<sup>de</sup> Afdeeling vroeg, April 1835, of de woorden »na de vereischte raadpleging" niet zouden kunnen wegvallen; men stelde het geval, dat de raadpleging mogt verzuimd worden, en het echter bleek, dat de kosten in het belang van

schip en lading waren gemaakt;.... De raadpleging in al. 2 gevorderd" zeide de 2<sup>de</sup> Afdeeling, » is dikwijls ondoenlijk, in het geval van gevaar; — wordt dezelve vereischt, dan zoude uit het niet bestaan derzelve, eene *witvlugt* tot niet-betaling der schade kunnen worden ontleend; — men wil dit dus eenigzins ruimer stellen." Ex responsis datis patere nobis videtur, talem significationem articulo tribuendam non esse. Praeterea ex ipso nostro Codice Merc. quaestionis solutio peti potest; vid. art. 701 n<sup>o</sup>. 7: » Bijzondere avarijen zijn: ... in het algemeen alle schade, verliezen en de gemaakte onkosten, die niet zijn veroorzaakt of gemaakt opzettelijk en tot behoud en gemeen welzijn van schip en lading, maar die geleden zijn door, — of gemaakt ten behoeve van het schip alleen, of voor de lading alleen, en welke diensvolgens, naar aanleiding van art. 699, niet onder avari-j-gros behooren." Si hunc articulum studiose legimus, apparet eas impensas, quae extraordinariae, sponte, ex necessitate et communis navis merciumque salutis causa factae sunt, pro avaria particulari non haberi; cum tamen secundum art. 696 (¹) avariis impensae illae computentur, et duo tantum genera avariatarum sint, nempe avaria

(¹) Alle buitengewone onkosten, ten dienste van het schip en de goederen gezamenlijk of afzonderlijk gemaakt; alle schade, die aan het schip en de goederen overkomt, gedurende den tijd, bij de derde afdeeling van den negenden titel ten aanzien van het beginnen en eindigen des gevaars bepaald, worden als avary gerekend."

grossa et avaria particularis, art. 698 (1), nobis lege ipsa dictae impensae pro avaria grossa haberi videntur. Finis art. 699, eas impensas, quae ad communem salutem sponte et ex necessitate factae sunt, licet consilio nautico non audito, inter ipsas avarias communes computari non vetat, quae igitur resarciendae sunt, valeatque antiqua iuris Romani regula, quod pro omnibus datum est, omnium contributione sarciatur. Vid. l. 1. Dig. de lege Rhodia de iactu.

§ 3. *De consilii nautici auctoritate in eligendo magistro, aliisque rebus.*

Magistri electio in locum ejus, qui in ipsi itinere defunctus est per Consulatam maris consilio nautico tribuebatur, cap. 219. In ea electione quaedam leges observandae erant; si enim in navi adesset exercitor vel defuncti propinquus, qui a consilio idoneus iudicabatur, ille magister fiebat; quodsi neque exercitor neque propinquus idoneus adessent, mercatores, promagister et nautae alium eligebant, qui rei nauticae peritus magistri vices expleret. Lege Francica anni 1681, lib. II, tit. V, art. 5, ille qui gradu proximus est magistri absentis vel aegrotantis vicem explere debebat, quod praeceptum in decreto regis Franciae, d. 21, m. Oct. a. 1727 art. 25

(1) »Er zijn twee soorten van avaryen: avary-grosse of gemeene avarij, en eenvoudige of bijzondere avary.»

etiam sancitum est, si magister diem obiit supremum vel a navi abest. Codex Francicus hodiernus nihil ea de re statuit, sed idem usu vigere pergit. Ex Ord. d. 29. m. Oct. a. 1833, tit. III, art. 42, apparet in portibus peregrinis consules magistrum eligere, qui defuncti locum occupet. »Lorsqu'il sera nécessaire de remplacer un capitaine décédé, les consuls n'admettront, autant que faire se pourra, pour remplaçant que des gens de mer ayant la qualité requise, par l'ord. du 7 Août 1825, pour commander un bâtiment de commerce.» In Codice Merc. Neerl. art. 356 de magistro substituendo ante iter susceptum loquitur (1); etiam apud nos in navigatione magistro mortuo, qui gradu proximus est, eius vicem explere solet. Quod legibus Bilbai cap. 24, art. 71 et 79, Hispan. art. 689, 694, Lusit. 1419, Boruss. Pr. Landr. § 1602—1603 expresse iubetur.

Consilii nautici olim erat species, cui in navibus lites

---

(1) »De schipper, op het oogenblik dat het schip zoude kunnen en behooren te vertrekken, zoodanig ziek zijnde, dat hij het schip niet kan voeren, is gehouden eenen anderen schipper in zijne plaats te stellen, of den stuurman in zijne plaats te laten opvolgen, indien het laatste zonder gevaar voor schip en lading kan geschieden. Indien de eigenaar of de bockhouder zich ter plaatse van het vertrek bevindt, zal de vervanging niet anders kunnen geschieden dan met zijne toestemming.»

minores magistrum inter et mercatores nautasve vel inter eos et mercatores ortae componendae mandabantur. De litibus maioribus inter eosdem viri prudentes (*prud-hommes*) iudicabant.

De illis controversiis consilium nauticum tribunalis instar iudicabat, quibus iudiciis sub iureiurando, se ex aequo et bono iudicaturos, latis, partes litigantes stare debebant. «Si les matelots naviguent à discrétion, le patron doit leur donner le salaire.... d'après l'estimation du contre-maître (†) et de l'écrivain, qui doivent la faire sous le serment qu'ils auront prêté....; ils ne doivent point prononcer par affection ni par malveillance, ni en vue de la récompense que quelqu'un leur aurait promise, ni dans l'intention de nuire à aucun des matelots qui seront sur le navire à discrétion, .... sous peine de faux serment: le patron doit donner aux matelots le salaire que le contre-maître et l'écrivain auront fixé sous serment, et il ne peut s'y refuser sous aucun prétexte.» Cap. 181; vid. etiam Cap. 79 Consulatatus maris, ubi agitur de nauta a magistro conducto, qui operas promissas praestare nequit, «le patron ne lui doit de salaire que ce que le contre-maître et l'écri-

(†) Imprimis pro-magistro Consulatatus maris talem auctoritatem tribuebat, de quo Capite 191 dicitur, «car le contre-maître est placé dans le navire comme une balance, pour maintenir la justice à l'égard des marchands, du patron, des matelots et de tout homme, qui est ou va sur le navire.»

vain décideront sous serment," caet. Add. Capita 191, 202 aliaque Consulatus maris. In legibus Uliar. aliisque mediæ aevi nonnumquam huius consilii speciei exempla occurrunt. Vid. art. 14 legum Uliar., quo caeteri nautae in casu iurgii magistrum inter et nautam, de eius satisfactione (*satisfaction*) iudicant. Si illam admittendam esse censent, magister nautam demittere nequit, nisi omne damnum inde ortum resarcire, et totam mercedem illi solvere cupiat, qui praeterea ius habet cum ipsa navi in patriam redeundi. Vidd. etiam legis Wisbic. art. 2, 28, Legis PHILIPPI II, anni 1563 tit. VI, art. 3. Non est quod moneamus iure hodierno tales arbitros in navibus non adesse, neque ullam iis lege tribui auctoritatem, nisi partes litigantes hac de re convenerant; caeteroquin ordinarium iudicem adeant.

---

## S E C T I O II.

DE CONSILII NAUTICI AUCTORITATE IN DISCIPLINA IN NAVI TUENDA.

---

### § 1. *Universe.*

In quacumque civitate poenae requiruntur, quae legis praecepta sanciant, ab iisque sumantur, qui leges violaverunt, et experientia, tristia profitemur, satis docuit sine poenis nullam civitatem stare neque vigere posse.

Sed etiam potestate, quae delicta persequatur et formis, quae in persecutione illa observentur, indigent cives, cuius potestatis, si fines non recte circumscripti sunt, ab una parte non satis severe, ab altera nimis rigide iustitia colitur, quae sequelae haud dubie civitati perniciosae sunt. Si haec universe valeant, eo magis de parva illa civitate, quae in navi versatur, idem dicendum est (¹).

Nautae enim, qui illam constituunt, undique saepe collecti, ex diversis saepe regionibus oriundi, multorum populorum vitia secum ferunt, seque mutuo docent (²), vel in locis, ubi saepe per longum tempus degunt, alia discunt.

Specialibus maritimis poenis opus est, cum multa facta eas poscant, quae in Codice poenali nostro non, vel non satis severe puniuntur, e. g. e navi desertio, ebrietas, caet. Multaeque causae enumerari possunt, quae delicta minuunt vel aggravant, et idcirco aliam poenarum mensuram

---

(¹) Naves Indias Orientales, vel Occidentales petentes saepius, praeter 30 vel 40 nautas, 100—200 personas vehunt.

(²) EMERIGON, l. I, p. 378, sententiam attulit scriptorum STRACCHAE de nautis, pars 5. § 4, VINNII et PECHII ad leg. Rhod. pag. 1, KURICKE, Pag. 693, 694, 711, 750, CLEIRAC 489: »ce sont gens mauvais, voleurs, indociles, et surchargés de tous les vices qu'ils ramassent dans les lieux où ils abordent,» sed iure ipse confitetur illos nimis severe de iis iudicare.

necessariam reddunt. Antiquae nostrae et hodiernae leges aliorum populorum harum specialium poenarum necessitatem etiam ostendunt: omnes enim speciales quasdam poenas statuunt in maritima delicta. Vidd. Cons. maris Cap. 80, 101, 113, 118, 119, 122—129, 205, 206 caet. Legum Uliar. 5, 6, 12, 14, caet. Damm. 5, 6, 12. Consuet. Amst. 7—8 et 26. Leg. Wisbic. 1, 2, 4, 17, 19, 20. Legis CAROLI V. anni 1551 art. 2—9, 19, 23 sqq. Legis PHILIPPI II, 1563. tit. VI, van schipskueren ende breucken ende andere zaecken der justitie aengaende. Leg. LUDOVICI XIV anni 1681 lib. II, tit. I, du cap. IV, du pilote, VII des matelots. Ord. Mediob. art. 26, 33, 39—40. Roterod. art. 188—192, 194—195, 239—243. Dordrac. art. 17, 20, 59—67. Ord. Amstell. vidd. *Amsterdamsche Handvesten*, vervolg. pag. 116, Lib. I, Cap. I, art. 1—4, 6, 7, 9, 10, 12, 13, 15—18, 20. Leg. Fr. 10 Aprilis 1825 pour la sureté de la navigation et du commerce maritime; multaeque aliae recentiores leges, quas omnes hic enumerare, speciminis brevitatis atque propositum non sinit. Sed si in delicta maritima poenae requiruntur ad civium personas et bona contra aliorum iniurias tuenda, haud minus potestate in navi opus est, quae minora illa delicta puniat, et de gravioribus inquirat, necessariamque investigationem faciat. Et, mirabile dictu! ius patrium hodiernum neque speciales poenas sancit, [nisi antiquae ord., quae non expresse Codice poenali sub-



latae sunt, adhuc vigere censeantur] neque potestatem constituit, quae pariter de delinquentium delictis investiget, vel minores poenas ad disciplinam tuendam sumat. In Codice Merc. nostro revera nonnullae poenae admittuntur, sed civiles poenae fere nihil efficere saepe possunt. Magister antequam portum relinquit et etiam itinere incepto non facile nautas in navi retinere potest et frequentes desertiones, de quibus exercitores querentur, pro magna parte, legislationi tribuendae sunt; art. enim 402 Cod. Merc. Neerl. haud sufficit ad eas reprimendas, cum poena ibi minata fere nulla sit (1).

Secundum art. 397 nautae ex contractu magistro obedire, et ab ebrietate rixisque se abstinere debent, sed saepe nuda sunt praecepta sine ulla sanctione poenali, vel quorum praecipua sanctio illa est, quae arbitrarie et suo Marte a magistro officariisque iis datur. Poenae enim civiles pecuniariae saepius parvi sunt momenti, cum nautae eas solvere nequeant, et eorum nihil intersit num mercedis pars ab officario maritimo (*waterschout*) retinea-

---

(1) »De schipper of die hem vervangt, kan de sterke hand inroepen tegen diegenen, welke weigeren aan boord te komen, hetzelve zonder verlof verlaten en weigerig zijn den verhuurden dienst ten uiteinde toe te volvoeren. De kosten, daarop vallende, kunnen op de gagiën der overtreders gekort worden,» caet.

tur, tamquam mulcta, vel tamquam res debita plurimis creditoribus et foeneratoribus, plerique nautae enim ante iter susceptum valde obaerati, mercedem promissam in securitatem debiti obligant, quae tunc itinere finito ab illo officario maritimo creditoribus solvitur. Quod ad art. 436 et 437 Cod. Merc. nostri, quo magistro ius datur nautam demittendi propter iustas causas, ibi enumeratas (1), animadvertendum est, poenam illam saepe iis haud gravem esse, sed ipsi potius magistro nocere, qui non facile alios in eorum locum conducit. Praeterea art. 438 eodem statuit, nautam, qui, iniuste e navi demissum se esse ostendit, a magistro damni quod passus est resarcitionem petere posse. Quod praeceptum saepe impedit, quominus poena illa sumatur, cum magister semper illam damni resarcitionem metuat. De hocce argumento optime meruit vir Cons. I. VAN DE POLL, in opere praestantissimo, *Proeve eener Strafwet voor Zeevarenden*, init. Nos etiam iam

---

(1) » Voor wettige redenen (tot ontslag) worden gehouden de volgende :

- 1°. Ongehoorzaamheid ;
- 2°. Gewoonte van dronkenschap ;
- 3°. Vechten aan boord ;
- 4°. Eene door de wet veroorloofde of verpligte staking der reis, mits voldoende aan hetgeen de wet in dat geval bepaalt ;
- 5°. Verwijdering van boord zonder verlof."

vidimus nimis parvam auctoritatem magistro officariisque tribui, eosque tantum civiles poenas sumere posse; illae igitur, quas, praeter civiles, haud raro, etiam audito consilio nautico magister sumit, illegitimae sunt. Vid. art. 1 Cod. de modo pr. in causis criminalibus (1).

Attamen non tantum necesse est, bonam in navi exerceri disciplinam et idcirco potestatem adesse, quae eius transgressiones, sub certis legitimis formis, puniat, sed etiam quam maxime necesse est, ut omnia delicta a nautis perpetrata puniantur. Ad veritatem detegendam imprimis requiritur, ut cito in delictis persequendis progrediantur; tunc testes adsunt, et delicto, quod committi viderunt adhuc commoventur, eiusque adhuc effectus vident; parvas illas res, quae collectae ad auctoris culpam probandam saepe magni momenti sunt, meminerunt; et nunc tempus adest ad indicia colligenda et reum convincendum. Si igitur legislator neque magistro neque consilio nautico sed ordinario iudici delicta persequenda et poenas sumendas mandare vult, tunc tamen iis scripta testimonia (*processen-verbaal*) de illis delictis conficienda mandet, quae probandi vim habeant, qua nunc carent, ita ut pleraque saepe delicta nautarum non puniantur; nautae enim haud facile, ut testentur coram iudice congregantur, et

---

(1) »Niemand mag tot straf vervolgd of veroordeeld worden, dan op de wijze en in de gevallen bij de wet voorzien.»

etiam si hoc locum habet, plerumque singulorum delicti momentorum non satis accurate meminerunt.

Nemini igitur dubium erit, quin necesse sit legem poenalem contra nautarum maritima delicta ferri, et legitima praecepta de delictis a nautis perpetratis persequendis condi, de quibus breviter inquiremus. Primo tamen videamus num consilio nautico iudiciaria tribuenda sit potestas in delictis puniendis. Antequam vero ulterius progrediamur animadvertimus nos legis specimen praebere non vultisse, sed tantum principia quaedam generalia ponere.

§ 2. *Num consilio nautico tribuenda sit iudiciaria potestas in delictis et criminibus puniendis.*

Si consilio nautico, quale in navibus militaribus exstat, iudiciaria tribuitur potestas eique delicta et crimina in navi mercatoria commissa punienda mandantur, revera quaedam utilitas tali institutioni denegari nequit, quin argumenta haud pauca afferri possunt, quae illud suadere videantur. Primo res citius peraguntur, secundo magistri et officiariorum auctoritas firmatur et augetur. Et revera delicta cito persequi et puniri, ut bene iudicetur, imprimis requiritur; lex PHILIPPI II lata anno 1563 iam postulat, „*kort en goed regt*,” et haud dubie poenae statim a delinquentibus sumtae plus efficiunt, meliusque poenarum assequuntur propositum, quam graviore poenae,

quae longo tempore post delictum perpetratum inferuntur. Addendum etiam est, quamcunque poenae retardationem, poenam esse extraordinariam, quae delinquenti affertur, et, quantum fieri potest, evitanda est. <sup>(1)</sup> Praeterea, si statim in delicta inquiritur, facilius est, ut iam annotavimus, veritatem detegere et idcirco iuste punire. Denique auctoritas potestatis iudicariae augetur, si citius legem poenalem exsequimur, ut auctoritas illa minuitur cum tarde et diu post crimen perpetratum poena sumitur. Magistri et officiariorum auctoritatem firmari, si talis iurisdictio iis tribuitur, explicatione non indiget, sed omnibus facile patet.

Gravia tamen incommoda contra argumenta allata afferenda sunt: nam primo eiusmodi auctoritas consilio nautico

---

(1) Cf. v. c. VAN DE POLL, o. c. pag. 64: »Men zoude kunnen vragen, of niet, in sommige gevallen, de regtspraak over aan boord van het schip, hetzij in volle zee, hetzij in eene vreemde haven, gepleegde misdrijven zouden kunnen worden opgedragen aan eenen raad van scheepsofficieren, gepresideerd door den gezagvoerder, of, zoo mogelijk, door eenen Nederlandschen Consul. Voor zoodanige bepaling zoude voorzeker veel pleiten, bovenal den regel, dat zoowel in het belang van het regt, als in dat der menschelijkheid, de straf spoedig op de misdaad moet volgen, en dat een lang uitstel het heilzame der straoefening, voor den schuldige en de maatschappij vaak geheel wegneemt.»

in patria nostra nunquam tributa est, nullo igitur nititur historico fundamento. Secundo, iurisdictiones speciales praecipue in causis criminalibus extraordinariis collegiis vel personis non sunt tribuendae, nisi summa necessitate, sed communi iudici de civibus iudicandum est: ita merito apud nos multae speciales iurisdictiones sublatae sunt. Sed praeterea, tertio loco, iurdictio illa contraria nonnullis esse videtur legi nostrae fundamentali, quae art. 164 expresse statuit potestatem iudiciariam ab iis tantum tribunali-  
 bus exerceri, quae lege fundamentali vel secundum eam instituta sunt (¹). Ad illa, quae lex fundamentalis nostra ipsa instituit, referendae sunt Curia Suprema et Curiae Provinciales, ad haec, Tribunalia Ordinaria (*Arrondissements-regtbanken*), et Cantonnalia secundum art. 181 et 182 instituta. Universe iis tantum iudiciaria potestas tribuitur, et ad exceptiones lege fundamentali, vel posterioribus legibus secundum eam admissas, iudiciariam potestatem consilio nautico mandatam referri posse nonnulli negant. Huius loci tamen non est inquirere, quaenam iurdictio secundum legem fundamentalem nostram institui possit (²), neque an lex illa tantum egerit de propria criminali

---

(¹) Art. 164. legis fund. Neerl.: »De regterlijke magt wordt alleen geoefend door regtbanken, welke bij of ten gevolge dezer Grondwet worden ingesteld.»

(²) Vir. Clar. THOREBECKE, *Aanteekening op de Grondwet*, II. p. 161: »Welke bij of ten gevolge dezer Grondwet wor-

iurisdictione, nempe de ea ad quam delicta referuntur generalibus legibus praevisa, ut multi contendunt. Vid. vir ampl. DE BOSCH KEMPER, *Wetb. van Strafv. caet.* lib. I pag. 21 (1). Ne igitur de quaestione illa longius disputemus, cum praeterea in nova expectata lege fundamentali illa facile dirimi possit.

Denique inter argumenta, quae contra talem iurisdictionem consilio nautico tribuendam afferenda restant, praecipuum locum tenet argumentum, quod omnia caetera su-

*den ingesteld....* Wat, of wat niet *ten gevolge der Grondwet* kan of moet worden ingesteld, is soms ook niet boven twijfel. Zijn b. v. de schuttersraden en de Gedeputeerde Staten als regtbanken voor de schutterij, *ten gevolge der Grondwet* ingesteld?"

(1) »Daarenboven schijnt aan velen het beginsel van de Grondwet, dat de criminele jurisdictie uitsluitend aan de hoven en de, ten gevolge van de Grondwet, in te stellene regtbanken zal zijn opgedragen, niet zoodanig algemeen, dat door den wetgever aan geene andere lichamen, ten aanzien van bepaalde voorwerpen, eene judicature zoude kunnen worden toegekend. De Grondwet schijnt hier alleen de eigenlijke Criminele Iurisdictione bedoeld te hebben, dat is de zoodanige, welke zich uitstrekt over de misdaden, bij de algemeene wetten voorzien; zoodat elke regtspleging door gedelegeerde regters daardoor voor altijd wordt afgeschafft.... Volgens kracht van dezelfde beginselen zoude .... een scheepsraad aan boord van koopmansschepen over de schepelingen kunnen worden opgericht.»

pervacua reddit, nautas nempe, qui illud constituent, personas idoneas non esse, ad legem poenalem recte intelligendam iusteque interpretandam et adhibendam, ad quod maior iuris criminalis peritia requiritur, quam univ-erse apud officarios navis mercatoriae praesumere possu-mus (1). Iis ius dare de vita et libertate caeterorum nau-tarum statuendi contrarium foret principiis nostro Codice de modo proc. in causis crim. secundum legem fundamen-talem, sancitis, ad personarum securitatem adversus libidi-nem et imperitiam iudicis tuendam. Quod si consilio nau-

---

(1) V. Cons. VAN DE POLL, o. c. pag. 64 sq.: » De zwaarigheid daarentegen, aan de instelling dier lichamen (scheepsraden) verbonden, bleef bestaan, en deze is van dien aard, dat steller dezès gaarne erkent, ook daarom van de zoogenaamde zee-straffen te hebben afgezien, dewijl, naar zijn inzien, hare toe-passing de regtspraak van scheepsraden veronderstelde. Welke nu de gevreesde zwaarigheid is, valt van zelve in het oog: het is de doorgaande ongeschiktheid der personen, die daar-aan deel zouden moeten nemen. Hoezeer het niet te ont-kennen is, dat, vooral in den laatsten tijd, vele gezagvoer-ders en stuurlieden onzer Oost- en West-Indievaarders be-proefde en kundige menschen zijn, is het echter ver af, dat dit de regel reeds is geworden; terwijl over het algemeen, de overige scheeps-officieren volstrekt ongeschikt zouden zijn, om als onpartijdige en verlichte regters eene Strafwet toe te passen. Uit de conduitelijsten blijkt, dat niet zelden scheeps-officieren deel nemen aan ongeregeldheden.»



tico iudicium tantum ferendum mandatur, quod postea ordinarii iudicis approbatione indigeat, iurisdictio vana et sine vera efficacitate foret, quae consilii nautici auctoritatem potius minueret, quam auget, et commodis specialis in navi iurisditionis magna ex parte, nisi omnibus, careret; tale decretum praeterea nautis ridiculum videretur, nam, sive postea ab ordinario iudice confirmetur vel corrigatur, omni modo is tantum de re iudicat; iudicium consilii nautici nihil amplius foret quam testimonium et eadem utilitate frui possumus, sine vana illa iurisditione.

His rationibus moti, consilio nautico de delictis et criminibus puniendis iudicationem lege non mandandam esse censemus. Sunt tamen casus, qui, ut quaedam iurisditionis species ei tribuatur, necessarium reddunt, sed haec quidem iurisdictio poenalis proprie non est. Si nempe seditio inter nautas exorta est, iique, iubente magistro, dicto audientes esse et operas debitas praestare nolunt, lex magistro officariisque ius det eos quovis modo cogendi ad id, ut officio suo satisfaciant; qui autem et quales illi modi sint, in singulis causis saepe diversi, vix ac ne vix quidem definiri posse videntur, sed fatendum verba hic minasque saepe non sufficere, ad veram vim adhibendam recurrentum esse, quoties ipsa necessitas id efflagitet. In Ord. CAROLI V. anni 1551, de re illa sic statuatur art. 4.... »oft eenigh oproer ofte rumoer in den schepe ghemaect werde, daer ute duer verswimenesse

ofte anders 't schip zoude gheweest hebben in dangiere hem te verliesen, te verdrynken, ofte commene in handen van zee-roovers ende andere de navigatie ende coopvaerderie van herwaerts-overe willende verhinderen: so willen wy ende ordineren, dat zonder breeder vertreck nochte langher ophoud, zulcke persoonen zonder tusschenheyt, met den lyfve gherecht, ende van den levne ter doot ghebroght werde, ende dierghelycke zyne anhangheren ende compliccn, naer schipsrechte ende ghebruucke."

Revera secundum Codicem poenalem nostrum magister et officarii, vel ille etiam solus, nautas omni vi reprimere potest, cum hoc requiratur ad vitam suam suorumque iusta defensione servandam, nam haud dubie etiam huc referenda sunt art. 328 Cod. Poen. praecepta de inculpatae tutelae moderamine, sed ea extendere non possumus ad bonorum defensionem, nisi in casu art. 329 eiusdem Cod., qui exceptiones tantum continet regulam praepositam confirmantes. Si igitur seditiosi nautae operas navigationi necessarias praestare nolunt, vel navem merceseve alio modo damno minantur, magister eos vix secundum Cod. nostrum vi cogere possit, tunc enim casus legitimae defensionis non adest. Legislator huic lacunae bona remedia afferat (1). Sic etiam consilium nauticum

(1) Ord. BILBAI, cap. 24. art. 15. universe dicit: »En cas de révolte ou de mutinerie de l'équipage, le capitaine est autorisé à y pourvoir."

lege facultatem habeat statuendi de modis, quibus mentis morbo laborans, qui personarum bonorumve salutis periculosus est, quominus iis noceat, impediatur, ipsa etiam reclusionem. Illud ius etiam secundum hodiernas leges haud facile denegari magistro possumus, nam quamquam art. 1 Cod. de modo pr. in causis crim. sancit, »niemand mag tot straf vervolgd of veroordeeld worden, dan op de wijze en in de gevallen bij de wet voorzien;» quisque tamen intelligit in dicta reclusionem non agi de poena sumenda, sed tantum de personarum securitate tuenda, quae talia praeventiva remedia necessaria reddit (†). Idem valet de delinquentium retentione, qui periculosi esse videntur, de qua paragrapho sequenti etiam passim agemus, qua modos ostendere conabimur ad incommoda tollenda, quae oriuntur si ordinarius iudex de delictis per iter commissis iudicat.

§ 3. *De delictorum inquisitione, de testimonio hac de re scripto a consilio nautico conficiendo et de fide huic instrumento tribuenda.*

Ut incommoda, quae facile oriuntur, si ordinarius iudex de delictis in navi commissis cognoscit, quantum fieri potest, minuantur, optimum fore nobis videtur, si lex ma-

---

(†) Vid. Vir ampl. DE BOSCH KEMPER, *Op. Laud. init.*

gistrum et officarios navis mercatoriae de delictis investigare, et scriptum testimonium conficere iubeat, eo nimirum casu, quum delictum per iter perpetratum sit neque Consul adsit: nam Consule ipso praesente, eius est partes agere magistri. Consul et navis mercatoriae officarii, eo modo iustitiae officarii auxiliarii (*hulp-officieren*) fiant, eorumque officia eiusdem sint generis, atque illa de quibus agitur in art. 32 seq. Cod. de modo proc. in causis cr. Magister et caeteri officarii, vel Consul si adest, in delictum igitur inquirent, testes audiant, omnes res colligant, quae postea probationi inservire possunt, omniaque indicia notent, quae ulteriorem contestationem, clariorem et faciliorem reddant. Valeat de iis praeceptum art. 54 Cod. de modo proc. in causis cr. sancitum, officarios auxiliares, iustitiae officarii partes agere, cum is non adsit. Obligatio nautarum delicta denunciandi iam in Ord. CAROLI V, anni 1551, occurrit, in qua art. 31 magistrum nautasve ullum delictum celare vel dissimulare vetabat, dum eos omnia delicta et contraventiones in illam Ordinationem visitoribus (*ghecommitteerde visiteerders*) nuntiare iubebat art. 34. Item statuebat Ord. PHILIPPI II, anni 1563, tit. VI, art. 9. Cuius tituli art. 10 magistrum, gubernatorem et pro-magistrum, antequam merces nautis solvatur, testari iubebat, quinam nautae legem violassent (1).

(1) »Ende wederomme ghecommen zynde, zal niemant van hemlieden (die schiplieden) zyn huere ontfanghen, nochte

Lege Francica anni 1681, lib. II, tit. 1, art. 23, magistri, pro-magistri et officarii, quibus vigilia mandata erant (*quartier-maitres*) omnia, quae delictorum persecutioni inserviunt, perficere iuebantur, si grave delictum in navi perpetratum erat, »Et pour ceux qui sont prevenus de meurtres, assassinats, *blasphêmes* ou autres crimes capitaux commis en mer, les maistre, contre-maistre et quartier-maistre seront tenus, à peine de cent livres d'amende solidaire, d'informer contre eux, de se saisir de leur personne, de faire les procédures urgentes et nécessaires pour l'instruction de leur procez." Cui articulo hodie in Francia legis vis tribuitur Ord. 29 Oct. 1833, »sur les fonctions des Consuls dans leurs rapports avec la marine commerciale," Tit. II, art. 15, ubi additur, Consuli testimonium scriptum (*procès-verbal*) conficiendum esse, quod omnia indicia et investigationes con-

---

moghen vertrecken, tenzy dat die schipper, stierman ende hoochbootsman, eerst ende voor al gheweest zyn voor den voorseyden visitateurs, ende van hemlieden oorlof verworven hebben, of welcke visitateurs, al eer 't voorseyde oorlof te gheven ghehouden zullen zyn de voorseyden schipper, stierman ende hoochbootsman, elck apart ende besonders op heuren eedt .... t' ondervraghen .... oft yemandt van denzelven theghe eenighe puncten van dese ordonnantie ghedaan ende mesbruyckt hebben, dewelcke 't selve ghehouden zullen zyn particulierlyck te verclaren."

tineat, quae inservient ad delictum probandum, si magister tale testimonium per iter facere neglexerit. Pr. Landr. lib. II, tit. 8, § 1607—1609 (¹) a magistro, consilio nautico convocato, de corpore delicti cognoscendum (*constater*) et scriptum de omnibus, quae in crimine obtinere videantur particularia, testimonium conficiendum est. Vid. etiam lex Austriae 27 Julii anni 1774, Cap. III, art. 30 et 31, qua magistrer delictum persequi et testimonium cum officariis caeteris conficere iubetur, si Consul non adest (²).

(¹) Lib. II. tit. 8. § 1607. »Er musz alsdann, mit Zuziehung des Schiffsraths, und anderer auf dem Schiffe befindlicher vernünftigen Leute, alles dasjenige genau aufzeichnen, was auf die künftigen Bestrafung des Verbrechers Einfluss haben kann.»

§ 1608. »Insonderheit müssen, wenn ein Todtschlag geschehen ist, und die Leiche vor der Landung über Bord geworfen werden musz, die Stelle und Beschaffenheit der Wunde; die Zeit, wie lange der Verwundete noch gelebt; die Speize, die er genossen hat; und die Mittel, die zu seiner Heilung angewendet worden, genau verzeichnet werden.»

§ 1609. »Ist auf dem Schiffe ein Arzt, oder Wundarzt: so musz dieser, in gegenwart des Schiffsraths, die Besichtigung vornehmen, und darüber sein ausführliches Gutachten dem Schiffsjournale so beifügen, wie er es eidlich bestärken kan.»

(²) » Dans les délits plus graves ou instruira le procès som-

Codex Merc. noster passim agit de illo argumento; a magistro enim declaratio (*verklaring*) facienda est, quae omnia, quae contra disciplinam in navi commissa sunt [*ongeregeldheden*] enarret. Vid. art. 379 Cod. laud. Quae declaratio, in peregrino portu coram Consule fit, in portu Neerlandico vel coloniarum coram iudice vel magistratu competente, secundum art. 380 eiusdem Codicis. Vid. etiam art. 14 Cod. de modo pr. in causis cr.; in quo delicta ibi enumerata, ut cuicumque, qui illa perpetrari vidit, denuntiandi etiam magistro officiariisque, qui rei testes erant, officium incumbit.

Lex etiam de ratione statuat, qua consilio nautico utendum est, ut delinquens impediatur, quominus effugiat, vel diutius personis noceat, donec magistratibus tradi possit.

Jus delinquentem carcere detinendi magistro medio aevo Consulatus maris tribuebatur Capitibus 122, 123, 127, 193 caet.: »Si les matelots.... emmenaient le navire sans la volonté et la connaissance du patron.... le patron peut les mettre aux fers, les déposer entre les mains de la justice et porter plainte contre eux." Vid. etiam Cap. 118, quo nautae, illum, qui armis instructus in magistrum irruit, apprehendere, carcere includere et mairement, et on livrera le coupable sur le littoral autrichien. .... A défauts de Consuls, le capitaine, assisté de ses officiers, dressera procès-verbal, qu'il remettra à l'intendance de Trieste," caet.

indici tradere iubentur. *Legē CAROLI V*, anni 1551, art. 25, magister officiarū nautaeque interfectorem apprehendere et carcere detinere, donec indici traderetur, iubebantur: »Ende so verde binnen den schepe yemandt van levende lyfve ter doot ghebroght worde, zullen so wel de schipper, als officieren, bootsghesellen ende knechten ghehouden zyn, den mesdadighen wel vaste te haudene ende te bewarene, ende te leveren der justitien van onsen landen daer hy eerst ancommen zal, om ghestrafte wordene, nae den heesch ende gheleghentheyte van der zaken.» Tale praecipuum in nullis anterioribus nostris legibus occurrit. Idem sancivit art. 5, tit. VI, legis PHILIPPI II, anni 1563, cuius tit. art. 6 statuebat, nautas, qui delinquentem etiam propter alia crimina quam homicidium apprehendere, asservare et iudici tradere omiserant, tamquam, delinquentis socios puniri. Secundum art. 46 Francici edicti anni 1584, magistri et officiarū de delinquentium traditione tenebantur, et legis Francicae anni 1681, lib. II, tit. I, art. 23, sub poena mulctae, magistrum et officarios delinquentem apprehendere et Admiralitatis officariis tradere iubebat, si aliquod grave crimen perpetratum esset. Ord. Francica anni 1833 ius magistro tribuit delinquentem carcere detinendi, si criminis gravitas et nautarum securitas hoc poscant.

Jure Borussico ille qui seditiosus est vel crimen quoddam commisit, a magistro corripendus, (vid. Pr.



Landr. lib. II, tit. 8, § 1606 coll. 1764 seq.), et tribunalibus § 1610 eodem designatis tradendus est. Vid. etiam Ord. Bilbai, Cap. 24, art. 28. Sueciae, du Comm. Mar. art. 49, Austriae, Cap. III, art. 30 et 31, Cap. IV, art. 3 et 4. Revera summa necessitas postulat, ut magister delinquentem, qui personis in navi versantibus periculum infert, apprehendere et carcere detinere possit: lex igitur expresse ius illud magistro officariisque concedat; personarum, quam civitas in se suscepit, tutela hoc poscit. De illa necessitate sic testatur vir Clar. et aest. VAN HALL: diss. l. II. p. 171. »Omne ius asservandi maleficos in vinculis, donec in patriam redux est magister, ei denegare, est omnem evertere exercitorum atque mercatorum securitatem, est committere eorum salutem arbitrio maleficorum.» Sed non tantum ius illud navis mercatoriae officariis tribuatur, lex etiam iis officium imponat, maleficos custodiendi, et impediendi, quominus effugiant, ut postea eos magistratibus competentibus tradant; civitati enim nimis interest ne delinquentes fuga iustam eludant poenam.

Quod ad delicti persecutionem attinet, magister officariisque, vel si Consul adest, hic ipse, etiam testimonium scriptum (*proces-verbaal*) de quo iam locuti sumus subscribent, ut postea de veritate rerum in eo relatarum constet; quae subscripcio lege requirenda est, cum, ut nobis optandum videtur, testimonium illud secundum modum lege praescriptum confectum, valeat tamquam in-

strumentum, quod art. 428 Cod. Neerl. de modo proc. in causis cr., probandi vim habere censetur. Nam praeter commodum quod ita statim et accurate colligantur omnia indicia quibus delictum et auctor a iudice facilius cognoscantur, alterum notandum est hocce: si talis auctoritas huic instrumento tribuitur, magister et officarii non continuo officia sua relinquere cogentur. Eadem igitur ratio, quae probationis vim testimonio a magistratibus publicis confecto tribuere suadet, hic etiam adest. Vid. art. 437, Cod. de modo proc. in causis cr.: »De verklaringen, verbalen of relazen van hen, die in eenige openbare posten, ambten of bedieningen gesteld zijn, moeten, om als schriftelijke bescheiden te gelden, door hen afgelegd zijn op den eed bij den aanvang hunner bediening gedaan, of wel daarna met eede bevestigd worden.»

Magistro nempe officariisque officia sua, ut in iudicio testimonium dicant, relinquenda mandare grave quid foret. Porro haud facile erit omnes testes congregare, et praecipue Consulem, qui ordinario adesse nequit; nautae saepe in patriam reversi non sunt, vel iam cum aliis navibus profecti. Si igitur huc redire, vel hic per longum saepe tempus remanere cogentur, ut testentur, gravius damnum inde oriretur, quam si magistratus, de quibus in art. 11 Cod. laud. sermo est, officia sua derelinquant. Hodiernae nostrae legislationis tristes sequelae sunt, nautarum delicta plerumque non denuntiari, et si denun-

tientur, deficientibus testibus probari non posse et idcirco non puniri, nisi illegitimas poenas magister et officarii sumant.

Testimonium igitur ab iis scriptum et subsignatum, valeat tanquam probandi remedium, secundum art. 428 Cod. de modo proc. in causis cr., et sane non minor fides habenda est eorum relationibus, sub iureiurando confectis, quam magistratum, dicto art. 11 enumeratorum, quibus propter officia navis mercatoriae officarii assimilandi forent; et eo magis testimonia illa probationis vim habeant, cum secundum art. 430 Cod. laud. contrarium semper probare liceat, et iudex secundum art. 431 coll. art. 427, al. 1, eiusdem Codicis reum condemnare non cogatur, nisi delinquentis culpa ipsi constiterit.

Supra diximus *sub iureiurando confectis*, illud enim, ut nobis optandum videtur, ante iter susceptum, secundum legis praecepta praestandum foret. Jam iure nostro antiquo iusiurandum a nautis ante iter susceptum praestari iubebatur <sup>(1)</sup>; vidd. Ord. CAROLI V, anni 1551, art. 34, et Ord.

(1) De quo vir. cons. VAN DE POLL, in *Opere laud.* pag. 74 sic loquitur: »....eene andere bedenking, der overweging zeer waardig, of het namelijk niet voegzaam zoude zijn, aan elken schipper en stuurman, bij hunne eerste reis als zoodanig, den eed in handen van den waterschout, te laten doen, hetzij op vast te stellen wetten, hetzij op eene instructie, waarin hunne verpligtingen zijn vervat.»

PHILIPPI II, anni 1563, tit. VI, art. 9, 10, secundum quos magistri sub iureiurando Ord. praecepta se observaturos et delinquentes nautas denuntiarios promittebant (†).

Consilium igitur nauticum officia illius investigationis perficiat et testimonium subsignet; exceptio tamen admit-tenda est, nempe in casu seditionis vel delicti in societate omnium eorum, qui in navi versantur, praeter magistrum commissi; tunc is solus agat, testimonium sub iureiu-rando conficiat et subsignet, quod postea probandi vim habeat. Eadem iam secundum Cod. nostrum laud. pro-bationis vis tribuitur scripto testimonio, ab uno tantum publico magistratu confecto, quod mecum affirmat vir Ampl. DE BOSCH KEMPER, Op. laud. Vol. III, pag. 554. Legis Borussiae fere idem, quod ad testimonium magistri sancivit, Pr. Landr. I. II, t. 8, § 1613 et 1614: ne-cessitas enim hoc poscit. Haud nova proponimus; iam art. 10, Ord. CAROLI V, anni 1551, sanciebatur, ut, si omnes officarii et nautae vel nonnulli eorum, caeteris absentibus, delicta ibi enumerata commiserant, magistri testatio suffi-

(†) » ....zullen alle schippers .... in handen vanden visiteerders, vander plaetsen daer af sy zullen varen, ende te zwee-rene dat sy dese ordonnantie zullen onderhouden, .... ende boven dien, zoo verre yemant van heuren schiplieden .... ter contrarien dede, dat zij int wedercommen den voorseyden visiteerders t' selve zullen te kennen gheven ende overbrynghen....”

ceret (¹). Vid. etiam art. 10, tit. VI, Ord. PHILIPPI II, anni 1563, et Cod. Neerl. Crim. Mar. Mil. d. 20, m. Jul. a. 1814, art. 160 seqq.

§ 4. *Consilium nauticum de minoribus delictis vel contraventionibus in disciplinam in navi iudicet.*

Si iurisdictionem de delictis et criminibus tribunalibus ordinariis et curiis tribuendam censemus, de iis tamen minoribus delictis vel transgressionibus, quae leves poenas irrogant, exceptionem admittimus, quam maxime enim necesse est in navi potestatem adesse, quae poenas illas statim a delinquentibus sumat. Omnes antiquae leges et hodiernae, nautas nec non vectores (quod ad disciplinam in navi tuendam attinet) magistri iussis obtemperare iubent iisque varia officia imponunt. Etiam Cod. Merc. nostri, lib. II, imprimis titulus IV talia praecepta sancivit, vid. art. 397, coll. art. 528, Cod. Merc. Neerl. — Quia tamen nulla in navi adest potestas, quae poenas (de civilibus hic sermo non est, quas saepe parum efficere iam diximus)

---

(¹) » Indien dat de voorseyde faulten .... worden ghecommitteert by allen den officieren, bootsghesellen ende knechten, ofte by eenighe van hemlieden in absencie van anderen, so dat den meester thoons zaude moghen ghebreken, dat in dien ghevalle dezelve meester zal gheloove hebben, op synen eedt.»

ab iis sumat, qui operas promissas et debitas praestare nolunt, vel legis praecepta circa disciplinam violant, praecepta illa fere nuda sunt. Experientia tamen satis docuit, leviores poenas statim post delictum in navi perpetratum sumendas esse, de cuius rei veritate omnes, qui rei nauticae quamdam peritiam habent, testes sunt. Jam antiquae leges, vel magistro vel consilio nautico ius tribuerunt poenas quasdam sumendi, vidd. Consulatus maris Capita 122, 123, 127, 193 caet. quae magistro ius dabant, nautam qui furtum commississet, vel dolo malo cibaria in mare iecisset, vel arma sua vendidisset, vel navem contra magistri voluntatem abduxisset, statim carcere puniendi; de quibusdam delictis, veluti custodum, qui sommo se dederant, poenam flagellationis vel in mare iactus (*d'être plongé dans la mer*) consilium nauticum pronunciabat, vid. Cap. 206, Cons. maris. In lege PHILIPPI II, anni 1563, tit. VI, art. 1, varia nautarum officia enumerat ibique in fine legimus: »Ende sal die voorsyde schipper tot dien effecte den onghehoorsamen ende wederspannighen mogen castijen ende straffen met woorden ende wercken, als eenen meester over synen knechten vermach te doen, sonder daeromme begrepen te syne.» In lege Francica anni 1681, lib. II, tit. I, art. 22, magistro delicta contra disciplinam, corporalibus poenis vindicare licebat, sive nautas, in mare proiectos, navis carinae subduci (*donner la cale*), sive in vinculis eos detineri

(*mettre à la boucle*), sive alia simili poena affici iuberet. Eas tamen poenas sumere non poterat, nisi de consilii nautici sententia, legimus enim in art. laud. »Pourront par l'avis du pilote et contre-maître faire donner la cale caet.» unde apparet, hoc magistro non licere dissentientibus dictis officariis. Sunt, qui contendunt, hunc articulum adhuc in Francia vigere, secundum art. 61, legis 22 Aug. 1790, et art. 19 seqq. Ord. 29 Oct. 1833. De iure minora delicta in disciplinam commissa puniendi, sic loquitur vir Clar. VAN HALL, in Diss. l. II, p. 174 »abrogato autem cetero iure nostro antiquo nautico, eae hodie poenae a magistro possunt exigi, quas consuetudines nostrae probent; nam fere tacet circa eas lex scripta, nisi quod ex iusta causa nautam demitti sinat, modo non fiat hoc in terra peregrina.»

Fere omnes iuris Francici scriptores officariis navis mercatoriae ius tribuerunt, minores poenas sumendi ad disciplinam in navi tuendam (*un droit de police*). Vid. VINCENS, *Expos. Rais. du C. de C.* lib. III, pag. 167. Cod. Merc. Hisp. idem ius magistro tribuit, art. 640, sic etiam Cod. Merc. Lusitaniae, art. 1367 (¹).

Vidd. etiam leg. Pennsylvaniae. Cap. IV, art. 34, et Cod. Borussiae, Pr. Landr. l. II, tit. 8, § 1604 qua

(¹) » Il (le capitaine) peut infliger des peines correctionnelles, à ceux qui troublent l'ordre sur le bâtiment, commettent des fautes contre la discipline, ou refusent de remplir leur service.»

poena definitur, cum magistro non liceat, delinquentem plus quam per octo dies in carcere detinere, vel certa pecuniae summa mulctare.

Lex Austriae, de merc. navigatione, Cap. III, art. 28 et 29, fere idem iubet atque art. 22, tit. 1, lib. II, legis Francicae anni 1681, etiam quod ad officarios consulendos. In Codice Merc. Russico, art. 709, si quis nautarum seditionem excitare conatur, magister gubernatorem primum et secundum, navis tignarium et pro-magistrum, in consilium vocare iubetur, et si illud tribunal iudicaverit, reum revera seditionem excitare conatum esse, poena corporalis ab eo sumitur, quae tamen duodecim verbera excedere nequit. In omni alio casu poena differenda est, donec navis in portum devecta sit, ubi Consul adest, vel navi bellicae obviam eat. Omnes illae leges potestatem in navi constituerunt, cui licet, per iter, cum copia non sit iudicem adeundi, poenas quasdam leviores statim a delinquentibus sumere: quisque nauta confitetur magistrum et officarios disciplinam in navi tueri non posse, nisi ius habeat poenas dictas a delinquentibus statim sumendi et quisque facile percipere potest, sine stricta in navi disciplina personarum vitam et bona in continuo versari periculo.

Haud facile praeterea delinquentem lex cogere potest, ut huc redeat, ut ordinarius iudex de poena iudicet, si ille ad peregrinos tendit portus; nam tunc poena nimis



gravis redderetur; ita igitur fit, ut delinquens saepe non puniatur. Denique necessitate iubente, usu invaluit ut magister assentiente consilio nautico, vel etiam suo marte, poenam carceris ab iis, qui in disciplinam deliquerunt sumat; quare melius est, legem tale quid sancire, quam ut illud quotidie contra legem fiat; nihil enim civitati magis nocet, quam ut cives leges violare soleant.

His rationibus moti credimus, eas poenas leviores, quae in parva constituuntur maritima delicta, statim sumendas esse; lex igitur talem potestatem consilio nautico ex magistro et duobus vel quatuor officariis constanti tribuat, nisi tamen iudex ordinarius vel per iter Consul Neerlandicus adsit, qui de poena statuatur. Consilium nauticum iudicare cupimus, quia si hoc soli mandatur magistro, timendum est, ne nimis severas poenas sumat, quia plerumque eius multum interest, ut delinquens severe puniatur, cum ipse iniurias a nauta passus sit, vel aliam ob causam, et igitur praesumendus est aequius iudicari, si a pluribus sententia emittenda est, et si certae formae observantur, quibus magistro tempus datur ad iram compescendam.

Haud contemnenda tamen etiam est eorum sententia, qui soli magistro illud ius puniendi in lege tribuendum et consilium nauticum de illa tantum audiendum esse censent, vid. vir Cons. VAN DE POLL, in opere laud. pag. 66. (1).

---

(1) » Men... stelt voor, de bevoegdheid om de eerste dezer

Revera in Cod. nostro Crim. Mil. Mar. 20 Julii anni 1814, art. 30 seqq. officiaro praefecto (*de kommandeerende officier*) ius datur de levioribus poenis statuendi, sed in lege illa de militibus sermo est, quos inter et nautas a magistro mercatoriae navis conductos, magna differentia intercedit.

Fortasse nimis libertatis personarum cura, quam quantum fieri potest, civitas tueri debet, nos movit, ut consilio nautico talem potestatem, non soli magistro tribuere velimus; sed, praeter causam allatam, alia adest, nempe nautis iustius videbitur a tali tribunali, sub certis formis, condemnari, faciliusque tali iudicio se subiicient, quam solius magistri arbitrario decreto, et legislatori curandum est, ne eos absterreat, a contractibus cum Neerlandicis magistris ineundis, nam hoc increscenti nostrae navigationi valde noxium foret.

---

straffen (opsluiting in de boeijen) te doen uitspreken, op te dragen .... in volle zee aan den gezagvoerder, na insgelijks, zoo mogelijk, het advies van twee scheepsofficieren te hebben ingenomen.”

---

---

CONCLUSIO.

„Tendimus in Latium.”

---

Antequam finem specimini imponamus quaedam nobis addenda restant. Jam vidimus et demonstrare conati sumus, magistrum nautarum consultorum sententiae obsequi non teneri, sed lege ipsa cogi, ut suam sequatur, etiam pluribus vel omnibus eorum qui consulti sunt, ab eo dissentientibus. Ne tamen eos consulere omittat de iis rebus, de quibus lex consilium nauticum audire iubet, non tantum, quia lex illud poscit, sed quia saepe utile ei erit; peritorum enim nautarum, quos experientia saepe multa navigantium remedia ad pericula removenda vel minuenda docuit, sententiis peritior fiet; praeterea deliberatione animi motus plerumque sedantur, et magister a nimia in agendo festinatione retinetur, cui denique postea multo facilius erit probare se recte beneque egisse.

Illi, quos lex consultare iubet, sententiam, quae iis personarum, navis, merciumque saluti optima videtur, ferant. Ne periculo territi se vano tradant metui. Si

bona quaedam spes restat navis merciumque servandarum, navem derelinquere magistro non suadeant, sed consilia dent, quae ipsis optima videantur, ad tempestatis vim vel hostem effugiendum. Sic etiam, si magister navem, naufragium vel aliud damnum passam, reficere cupiens, consilium nauticum hac de re audit, eique impensae nimis magnae videntur, cum e. g. eo loco tignum necessarium non inveniatur, vel mercium natura longam moram, qua ad eam refectionem opus est, non sinit, aliam navem conducere suadeant, si hoc fieri potest.

Si iactus necessarius existimatur et praecipui nautae de mercibus, quae eiicientur, eligendis consuluntur, lex ipsa regulam proposuit; eae nempe merces quantum fieri potest eiiciendae sunt, quae minus necessariae, maximi ponderis, vilissimi sunt pretii, deinde merces sub primo tabulatu (*verdek*). Vid. art. 368 Cod. Merc. Neerl.

Universe dicendum est iis officium incumbere illud suadendi, quod minimum damnum exercitoribus et mercium dominis inferens, cum personarum salute congruit; alia regula generalis poni nequit; sic e. g. non dicere possumus consilii nautici furente aestu et naufragium minante esse ut suadeat, primo, ut merces eiiciantur, et, si remedium illud proposito non responsit, secundo, ut malum ferro submittatur, denique ut navem in littus appellatur. Quisque facile intelligere potest, tales regulas poni non posse, cum plerumque omnia remedia adhiben-

da a tempestate, statu navis, periculi specie, et loco, ubi navis exitu minatur, caeterisque causis pendeant.

Experientia doctis peritia lex sit; ne nimis conterriti suae tantum saluti prospiciant, sed ab altera parte, ne nimia audacia et temeritate personarum vitae curam negligant.

Deliberatione peracta, tempore sinente, relationem conficiant, nam, quamquam lex illam tantum de iactu poscit, usu tamen invaluit, ut magister et praecipui nautae testimonium scriptum conficiant de aliis etiam rebus extraordinem ex necessitate gestis, quod postea saepe probationi inserviet, non tantum magistro, quo ostendat se contractus legibus obedivisse, sed etiam exercitoribus et mercatoribus ad omnium rerum contributionem, vel damni resarcitionem petendam.

Quod consilii nautici officia ad disciplinam in navi tuendam spectat, de iis lex statuatur. Quodsi in iis, quae proposuimus, quaedam sint, in quae dubia afferri possint, dissentientes ad Ciceronis dictum remittimus, ubi in Cap. 10, lib III, de Legg., legimus: »Ego enim fateor in ista potestate inesse quoddam mali. Sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus.»

---

---

## T H E S E S.

---

### I.

Legimus in Const. 22 Cod. de neg. gestis, »negotium gerentes alienum non interveniente speciali *pacto*, casum fortuitum praestare non compelluntur;» illud sic emendandum esse putamus: negotium gerentes alienum non interveniente speciali *facto*, caet.

### II.

Ut damni resarcitio, de qua in l. 2 § 1, in fin. Dig. de lege Rhodia sermo est, locum habere possit, vectorum consensus ad damnum navi inferendum non requiritur.

### III.

Improbamus art. 991, Cod. Civ. Neerl., secundum quem illi, qui propter delicta in art. 1950, 4<sup>o</sup>, med. Cod. cit. commemorata, condemnati sunt, testes in testamento esse non prohibentur.

### IV.

Praestat art. 1601 Cod. Civ. Neerl. art.<sup>o</sup> 1733 Cod. Civ. Fr.

—  
V.

Artt. 478 et 1053 Cod. Civ. Neerl. ita in concordiam redigendi sunt, ut art. 1053 ad solam emancipationem minus plenam referatur.

VI.

Furtum inventionis, quod dicitur, omnino potest committi.

VII.

Improbamus art. 300 Cod. Poen.

VIII.

Cum civitatis valde intersit, ut civium delicta puniantur, eorum, quae in navi mercatoria in itinere perpetrantur, investigatio magistro caeterisque navis officariis lege mandanda est.

IX.

Relationibus ea de re ab illis in itinere confectis, eadem tribuatur probandi vis, atque iis, quae a magistratu publico confectae sunt, secundum art. 437 Cod. de modo proc. in causis crim.

X.

Magistratus publici ministerii non cogitur ad inquisitiones et persecutiones, quas semel secundum art. 22 § 2 in Cod. de modo proc. in causis crim. instituit, dimittendas, quia laesi a querela (*klagte*) desistere cupiunt.

—  
XI.

Etiam si delicta, in art. 9 Cod de modo proc. in causis crim. enumerata, perpetrata sunt in regione peregrina, ubi nulla lege poenali vetantur, hic tamen delinquens puniendus est, sive hic deprehensus sit, sive magistratibus nostris traditus.

XII.

Improbamus artt. 367 et 368 Cod. Merc. Neerl.

XIII.

Exercitores, in solvenda summa in eos a magistro navis, secundum art. 372 al. 2 Cod. Merc. Neerl., datis literis cambialibus, trassata, facultate, iis art. 321 eiusdem Cod. concessa, uti non prohibentur.

XIV.

Sententiam viri Cons. Frets de jure Nummularii [*kassier*] in apochis publicis, ei a mercatore missis, quae exponitur in *Bijdr. tot Regtsgel.* a. 1836, Lib. X, N<sup>o</sup>. 3, minus veram credimus.

XV.

Quod ad usurarum modum, optimum censemus, si lex illum privatorum arbitrio relinquat.

XVI.

Brephotrophiorum institutionem magis civitati nocere, quam prodesse statuimus.



XVII.

Minus recte nonnulli existimant milites e coetu legislativo arcendos esse.

XVIII.

Gentes, a Carthaginiensibus devictas, meliore conditione usas fuisse quam Romanorum provincias, contendimus.